8

THESIS VII. HISTORICO-THEOLOGICA

CONTRA DUOS LIBELLOS

ERASMI PILII.

QUAM

PRÆSIDE

EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

OANNE LIBERTO HENNEBEL

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE

DEFENDET

STEPHANUS WILLIBRORDUS OORT

AMSTELODAMENSIS.

In Collegio VIGLII die 6. Maii 1688.



LOVANII,

Typis GUILIELMI STRYCKWANT, sub aureâ Lampade.

§. 1.

[E]RASMI PILII *modestia in Sedem Apostolicam, & charitas in* EX.D. GUMMARUM HUYGENS , *cum quo mihi causam dicit esse communem.*



Uò benignius humaniusque Molinæ discipulos invitamus ad pacem , nitimurque pro tenuitate nostrâ illam amaritudinis , quæ inter Theologos irrepsit , extinguere perniciem , eò magis contraria videntur inire consilia;cumque deberent nobiscum aquam, malunt ignem igni addere , ut una omnes flamma consumat. Exemplo sint libelli duo nuperrimè editi contra Ex.D.HUYGENS, non tam bile , quam furore ne dicam rabie pleni ; quibus si fides est , Eximius D. HUYGENS Collega noster non homo , sed brutum ; non hæreticus est , sed hyperhæreticus ; cui anathemati [inf]ælix ego simul subjicior , quia , ut habet lib. 2. pag. 4. Eximii D. HUYGENS dogma [i]n infæliciter solus defendendum suscepi.

[N]escio an à quocumque Fidei Catholicæ hoste prodire possent opuscula , quæ paucis [pa]gellis plura impotentis animi continerent specimina , è quibus selectiora quædam in [un]um hic colligam fasciculum , ut judicet Lector , quam eorum Auctor non tantum po[tes]tatis, justitiæ ac veritatis, sed & honestatis ac verecundiæ limites omnes excesserit.

Parum est , quod scribit lib. 2. pag. 56. *Varias tuas Theses discutienti occurrit mihi idem [id]em illud Isaia cap. 29. v. 24.* DOMINVS MISCVIT IN MEDIO EIVS SPIRITVM [VE]RTIGINIS, ET ERRARE FECIT EVM, SICVT ERRAT EBRIVS ET VOMENS. *Placeat [tib]i , Vir Eximie , candor ille animi , quo cogitationes tibi meas aperio tam candidè.* Et iterum [pa]g. sequenti ; *Quasi musto plenus effervescis.* Miror tamen cur præ cæteris illam elegerit [ad] pingendam collegæ nostro contumeliam , quam nascente Ecclesiâ Apostolis opposuerunt judæi dicentes Act. 2. *quia musto pleni sunt isti.*

Sed non lubet his & similibus , quibus scatent libelli , diutius immorari , dum ad illa [pr]opero , quibus dogmata nostra inverecundè notantur ac proscinduntur , tantâ qui[de]m confidentiâ , ut nescias quid in libellis mireris primum , an Auctoris ferocem auda[ci]am , quâ liberrimè dogmata sibi contraria censuris gravissimis carpit , an infirmitatem [ar]gumentorum , quibus censuras contra Apostolica Decreta intrepidè prolatas , languidè [p]rorsus levissimèque confirmat. Cumque non pugnet nisi armis à P.PHILIPPO DE VOS [m]utuatis sæpiusque contritis , luculentè apparet de sola eum maledicentia posse gloriari , [q]ua hâc & P. DE VOS & Collegas suos omnes superavit , ut evidens est ex ejus in [C]ollegam nostrum dicteriis , quæ hic subjicio.

Lib. 1. pag. 30. *Demonstratum est ipsum in hoc* (dogmate de libertate) *non differre ab hæ[re]siarcha Calvino , nisi quod hic vocem liberi arbitrii rejecerit , quam* GUMMARUS *invidiæ de[cli]nandæ causâ retinuit.*

Pag. 31. *Doctrinam suam retractare erubescit, nondum in illo prædominante amore veritatis.*

Pag. 48. *Mihi ego persuadeo, Exim. Gummarum PARADOXO suo dogmate eo spectasse, ut cum Iansenista nomen nimis hoc tempore sit invidiosum, appareat Catholicus.*

Pag. 53. *Hæretices bellè imitatus videtur novus Dogmatista.*

Pag. 65. Allegat ex epistola Reverendissimi D. Stryen hæc verba : *Ut Africa semper aliquid monstri, ita hac facultas nova doctrinæ aliquid gignit.* Quibus ipse addit : *Non præsagiit, opinor, ejusce modi unquam Levanii progignendum dogma, quale est hoc Gummarianum.*

Pag. 62. *Adivi Calvinum......* Pag. 63. *Excussi plures alios hæretices libertati humanæ infensissimos, nullum inveni, nec inveniendum puto vel unum inter omnes seu antiquos seu recentiores, nedum inter Catholicos, à quo suum dogma accepisse videri possit novus Dogmatista Gummarus. Excutiantur omnes antiqui recentesque hæretici & Orthodoxi. Ita dogma illud est Gummaro proprium.*

De hoc spiritu nihil remittit idem Auctor in libello secundo : Nam statim in pag. 9. sic pro sua humilitate Collegam nostrum castigat : *Nunc attente perpendamus, an non etiam superbâ impietate ingratus Dei gratiæ judicandus videaris.*

Pag. 19. *Invenisti ad relevandam invidiam istam tale commentum.*

Pag. 42. *Istud apertè sapit Pelagianismum.*

Pag. 50. *Ne deserat dogma Iansenii amplectitur dogma Pelagii.*

Pag. 51. *Eximius noster Gummarus maluit deglutire hanc offam Pelagianam.* Et iterum ibidem : *Offa hæc Pelagiana ita virum confirmavit, fecitque intrepidum, ut ex Doctore fecerit sanæ doctrinæ censorem.*

Pag. 63. *Persæpe mihi visus est Vir Eximius imitari matrem, quæ monstrosum enixa fœtum magnopere est solicita, ne fœtus videatur deformis.*

Si obscura forte hæc esse suspiceris, metum omnem tibi excutiet Auctor ille intrepidus; tam enim certa illi sunt omnia, ut tantum proposuisse refutasse sit, quemadmodum satis insinuat libri primi pag. 9.

Ecquis crederet censuris tam atrocibus aliquid addi posse? Invenit tamen libellorum Auctor quod adderet : Neque enim satis illi fuit Gummariana dogmata, ceu commenta hæresesque manifestas explodere, sed amplius aliquid audere voluit. Ut maledicentiæ palmam omnibus præriperet, suprà hæreticos omnes accusandus fuit Eximius D. Gummarus.

Hinc illud pag. 60. lib. 1. *Eximius Gummarus Iansenium superat & Calvinum.*

Pag. 64. *Profectò apparet hyper-hæreticum, id est, omnem excedens hæresim, quæ in hoc genere doctrinæ unquam orbem occuparit Christianum.* Imo, ut ait pag. 53. *Belluinum est dogma hominem in agendo ipsis belluis æquiparans.*

Tam certa verò sunt omnia auctori illi, ut sibi blandiatur quod, visis ejus probationibus, Eximius Collega noster tam fœdos errores errorumque sequelas exhorrebit. Quis enim non exhorreat, si rectè sic Collegæ nostro insultet lib. 1. pag. 76. *Inficiari non potes, dogma tuum cui adhæres tam pertinaciter, eo tendere, ut Christianismus evertatur funditus, omniaque Sacramenta penitus aboleantur. Quin imò magnoperè est laborandum, ut cum tuo dogmate conciliëtur Deismus.* Et paulò ante pag. 74. *Negare non potes, quin omnia & singula legitimè educantur, imo per se fluant ex tuo dogmate. Vides opinor, si quidquam videas, illa inde consequi, quæ funditus evertunt non tantum Mysterium SS. Trinitatis, sed etiam Incarnationis, totamque doctrinam de peccato originali.*

Denique, quod præcipuè deplorandum est, non soli Collegæ nostro nocent hæc dogmata, verum, ut ait lib. 2. pag. 80. *Miro artificio suos fascinat discipulos*, quanquam, ut ait lib. 1. pag. 50. *non absimilem simulandi artem, seu potius vaferrimum dolum jam pridem noverint & usurpârint hæretici.*

Pontificum

Pontificum Conciliorumque decreta omnia excutiantur, expendantur atrocissimæ in hæreticos quoscumque vibratæ Censuræ, spondeo, quod nihil unquam atrocius contra quemcumque pronuntiasse reperientur. Tam interim libellorum Auctori suavia hæc omnia & mellita videntur, ut sua illum fallat opinio, si vel levi Collegam nostrum perstrinxit Censura, cujus vibrandæ potestatem Sedi Apostolicæ reservat juxta illud libelli 2. pag. 63. *Eximius Gummarus nova concepit ac protrusit dogmata, quæ multis in Belgio apparent hæretica; an sint hæretica, judicium esto Sedis Apostolicæ.* Unde & pag. 7. ejusdem libelli, *definitivam sententiam*, inquit, *relinquemus Sedi Apostolicæ.*

Quibus oculis hoc ludibrium aspiciet Sanctissimus Pater? Dogmata Collegæ nostri ab hoc Auctore privato exploduntur ut commenta, hæretica, hyper-heretica, monstrosa, belluina, & interim, ementitâ humilitate, Censura omnis judicio Sedis Apostolicæ relinquitur.

Certè si me, quem ejusdem profert dogmatis unicum vindicem, iisdem quoque voluerat Censuris involvere, meminisse debuerat, quam fraternâ in Thesibus meis novissimis charitate postulârem à quolibet, qui se Thesibus meis iniquius habitum causaretur, ut proferre dignaretur ea, quibus gravius commovetur, spondens Christianâ animi moderatione rem totam cum eo componere, lucrisque meis cum gratiarum actione deputare, si forem vel eo docente instructus, vel emendante correctus.

At verò tantum nunc abest, ut ab hoc auctore habear ut amicus invitans ad pacem, ut potius tanquam hæreticus melle litum stringens gladium vapulem, dum solus dogmatum hæreticorum, hyper-hæreticorum, imo & belluinorum vindex proferor.

Non ignoro, sicut in moribus, ita & in scriptis meis multa posse reperiri, quæ possint justo judicio, & nullâ temeritate culpari; Æquum tamen erat saltem par pari reddere, & anhelante SS. Domino ad Theologorum pacem, sic sua proponere & aliena refellere, ut petulanti arguendi modo non exulcerarentur eorum animi, qui contra omnem juris ordinem, contra iterata Sedis Apostolicæ Decreta Censuris atrocissimis percelluntur.

Fallor equidem si Auctori suo fæliciter cedat illa audacia, futurusque sit ille primus, cujus causam sub tanto Pontifice petulantia fecerit meliorem.

§. 2.

An ERASMI PILII *atroces Censuræ quadrent doctrinæ quam sustinui pro explicanda ac vindicanda Collegæ nostri sententia circa amorem beatificum?*

IN Compendio edito 1679. pag. 12. ita habet Collega noster: *In ipso amore beatifico major est à necessitate libertas, quam in ullo amore viatoris.* Lepidum est videre, quomodo ERASMUS PILIUS singulis libelli primi paginis articulum illum exagitet, quidve comminiscatur, ut hunc articulum, articulique Auctorem sannis omnium exponat. *Conatur,* inquit pag. 61. *asseclas habere omnes suos discipulos Academicos, quibus dogma illud in Collegio Pontificio, cui præest, instillat, infarcit, inculcat adeò, ut hodie totum Lovanium omnium passim Academicorum ore personet dogma illud, quod ab Auctoris nomine derivato vocabulo per antonomasiam vocatur Gummarianum.*

Quam hæc sint falsa, nôrunt omnes, qui in Academia versantur, facilèque notant hæc pro nutu confingi, ut imperitis fucus fiat; neque enim Academicorum quispiam sic dogma illud agnominari unquam audivit.

Pari fronte miras affingit Collegæ nostro reservationes mentales, qualis est illa pag. 55: *Dum dicit hominem liberum à necessitate, hanc mente reservat glossam, quam producet, ubi erit opportunum: EST LIBER A NECESSITATE COACTIONIS, NON VERO A NECESSITATE, QUÆ A COACTIONE DISTINGUITUR.* Tum sibi applaudens, quasi rem acu tetigisset,

tetigisset, subjungit: *Da gloriam Deo, Vir Eximie, nonnè mentem tuam, nonnè scopum dogmatis rectè sum assecutus? Imò, inquies, sed revelasse non oportuit.*

Denique gloriabundus, ceu novus Goliath, qui exprobravit agminibus Dei viventis, insultat Collegæ nostro, & pag. 11. imbellem ejus subsannat ignaviam, quasi anno 1684. Thesi 6. P. GERARDI BOLCK provocatus arenâ cedere & obmutescere coactus sit: hinc illæ ejus voces: *Quidquamne huic Thesi opposuisti? Usquamne publicè declarasti non fuisse tuam mentem, illo tuo dogmate cum magna energia atque emphasi negare, ullam esse libertatem à necessitate in ullo amore viatoris? Nihil hujusmodi declarationis intelligo prodiisse. Certè in istis causis non caret suspicione taciturnitas.*

Operæ pretium est hic expendere, quâ fide hæc dicantur ab eo, qui me Collegæ nostri vindicem, assessorem, & ad tuenda sua dogmata hortatorem vocat, quem proinde paria cum illo, in hac saltem controversia sentire non dubitat, ideoque tam enixè eum hortatur, ut à suis me consiliis deinceps excludat.

Rei gestæ ordinem repetemus ab ovo, ut de ejus veritate Lector æquus facilius dijudicet.

Notandum itaque, quod hanc de amoris beatifici libertate controversiam moverit Pater DE VOS in pertinente Appendicis editæ 1682. quam repetiit in pertinente primo alterius Appendicis ejusdem anni. Et iterum Appendicis tertiæ Thesi 2. Thesi ultima ex Salesio. Denique in Thesibus complexis Thesi 1. anno 1684. Huic opposui ego §. 3. Thesis Historico-Theologicæ 2. in qua Collegæ nostri doctrinam sic exposui.

" Dixerat Collega noster cum S. Bonaventura, cujus verba refero §. 6. Thes. Hist. ,, *Arbitrium dici liberum, non quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum, sed quia omne, ,, quod vult, appetit ad sui-ipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud, & ,, ideo in actu volendi seipsum movet, & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis ,, immutabiliter ordinetur ad istud.* Negari non potest, quin beati Deum liberrimè dili- ,, gant, si rectè liberum hic definitur. Neque curavit Collega noster probare, quod ,, amor ille immunis sit à necessitate immutabilitatis, tum quia S. Bonaventura dicit eam ,, libertati non repugnare, tum quod naturalis necessitas (sub qua comprehende necessi- ,, tatem coactionis) sit sola necessitas propriè dicta. Denique nec agebat de libertate ,, ad merendum & demerendum, sed de illa, quæ omnis meriti sit præmium.

,, Probandum ergo illi erat præcipuè, voluntatem beatorum ad amorem beatificum ,, non esse naturali necessitate constrictam, quomodo pecora, item pueri, somniantes ,, naturaliter aguntur, quomodo motibus primò primis abripimur, quia non eliciuntur ,, ad voluntatis imperium, non sic anima illos vult, ut velit se velle illos, neque etiam ,, ad illos producendos seipsam movet, neque sibi dominatur, cum in amore beatifico ,, hæc omnia planè aliter eveniant: nam & beatus amorem illum sibi imperat, vult ,, amare, vult velle in æternum indissolubili vinculo charitatis creatori suo adhærere. ,, Ergo & seipsum movet, & sibi dominatur. Plus etiam aliquid collega noster addidit ,, explicare volens clarius, quomodo hic amor ab omni naturali necessitate immunis sit; ,, licet enim cum S. Bonaventura sentiat, *arbitrium non ideo dici liberum, quia sic velit hoc ,, ut possit velle ejus oppositum*, hanc tamen potentiam quoddam esse libertatis signum liben- ,, ter agnoscit, ideoque scrutatus est, an sit in beato potestas quædam ab amore beati- ,, fico cessandi. Talem autem reperiri probavit ex eo, quod beatus Deum amans paratus ,, sit ab hoc amore cessare, si quid illi Deo melius proponeretur. Quod licet impossibile ,, sit, quia tamen voluntas actu saltem inefficaci, qui in agentibus naturalibus reperiri ,, non potest, ferri quoque potest in impossibile, non debet paradoxum videri, quod ,, tanquam signum libertatis potentia illa allegetur, cum per illam & ipse modus ten-

,, dendi

,, dendi in Deum clarius explicetur, & luculentè appareat non moveri beatos ad hunc ,, amorem lapidum pecorumve more naturali necessitate. ,,

,, Neque illud mirum videri debet, quod amor ille beatificus perfectione libertatis ,, superare dicatur quemcumque actum viatoris, quia si juxta S. Bonaventuram *Arbitrium* ,, *non ideò dicatur liberum, quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum, sed quia omne quod* ,, *vult, appetit ad sui ipsius imperium*, consequens est non inde petendam esse perfectio- ,, nem libertatis essentialem, quod homo in utramque partem ferri possit; sed inde vel ,, maximè, quod homo perfectiori judicio, perfectiori voluntatis imperio seipsam ,, moveat ad actum, ac proinde qui magis in unam partem propender, quia evidentius ,, in illa veri bonique rationem intelligit, licet minori indifferentiâ, perfectiori tamen ,, libertate illum eligit. Certè quò quisque est sapientior, atque ad agendum instructior, ,, eò minus deliberat; nec quia minus indifferens est ad agendum, minori gaudet liber- ,, tate. Indifferentia ergò illa, quam experimur, cum nulla nos ratio in unam partem ,, magis, quam alteram impellit, perfectio libertatis dici non potest; quippè quæ tan- ,, tum cognitionis vel defectum vel negationem notat, nam si semper, quid verum bo- ,, numque sit clarè videremus, nunquam deliberaremus quid judicandum vel eligendum ,, foret; atque ita quamvis planè liberi, nunquam tamen indifferentes essemus. Quod ,, cum Beatis accidat, qui illud incommutabile & incomprehensibile bonum clarissimè ,, intuentur, sine ulla indifferentia perfectissimâ libertate Deum diligunt.

,, Porrò licet hæc ita dicantur de libertate amoris beatifici, non ideò largiemur aliam ,, ac planè disparem in viatoribus non dari. Planè confitemur, & experientiâ ipsa evi- ,, dens est, veram in viatore dari indifferentiæ libertatem tam ad bonum quam ad malum, ,, sed hoc unum dicere intendimus, quod sicuti charitas patriæ perfectione excedit cha- ,, ritatem viæ, ita quoque libertas patriæ excedit libertatem viæ; ac insuper sicuti fir- ,, mitas illa ac immutabilitas amoris beatifici illum ab amore viatoris essentialiter non ,, distinguit, sic nec illa libertatis viæ indifferentia essentialiter facit hanc à libertate pa- ,, triæ diversam; neque dubitamus tantam esse disparitatem inter libertatem viæ & pa- ,, triæ, quanta est inter charitatem viæ & patriæ. Hæc tamen omnia Auctor Thesis ,, nuperrimæ confundit. *Non relinquit*, ait de Collega nostro, *in actibus nostris majorem* ,, *libertatem à necessitate, quam sit in amore beatifico, à quo tamen censet beatos cessare non* ,, *posse, nisi sub conditione impossibili, si quid Deo melius preponeretur.* En tricas; caudam ca- ,, piti, suprema infimis inani hallucinatione conjungit. Agnovit quidem Collega noster ,, perfectissimam in amore beatifico libertatem; eam dixit charitatis in via liberè exer- ,, citæ esse præmium, sed nusquam somniavit, nedum dixit, aliam in statu naturæ lapsæ ,, libertatem non relinqui. Pari jure, si quis charitatem Patriæ suprà charitatem viæ miris ,, extulisset elogiis, idem Auctor posset inferre, non aliam reperiri veram charitatem in ,, via, quam in Patria. Relicta planè est illa libertas in statu naturæ lapsæ, quam cum ,, universa Schola Thomistica unanimi consensu nostri admisere majores, libertas scili- ,, cet indifferentiæ, libertas non tantum à coactione, sed etiam à necessitate.

Sensit P. DE VOS, quàm hæc eum stringerent, neque indignaturum arbitror ERASMUM PILIUM, si Augustini verbis, quibus Collegam nostrum compellat lib. 2. pag. 32. utar & ego: *Fovea vulpecula ex utraque parte conclusa est, & non est quà intret ut lateat, aut si jam ibi latebat, non est quà exeat, ut evadat.* Hinc contra Thesim illam hoc unum prodiit imbelle responsum: *Qui mentem sensumque Cornelii Iansenii perspicere non potest, ut profitetur, qui capere potuit tam solerter mentem sui Collegæ? An is sensum suum sic ipsi aperuit, voluitque nobis declaratum?*

Dixeram ego, quòd quinque articulos eodem prorsus sensu damnarem, quo eos

Schola Thomistica reprobat, neque etiamnum sic dixisse pœnitet, ut constat ex Thesi 6. hist. in qua §. 2. sensum quinque articulorum ex Joanne Baptista Gonet profero & commendo. Addideram tamen, satis indignè quæstionem illam de sensu Jansenii à Molinistis tractari, dum novos quotidie pro nutu suo rerumque opportunitate confingebant sensus sæpè inter se planè diversos, sæpè gratiæ per se efficaci infestos, contra aperta Sedis Apostolicæ decreta. Quid ergo spectabant illa ad quæstionem de libertate amoris beatifici? Hinc omnes ex responso tam languente facilè intellexerunt corruere, quidquid Collegæ nostro jam annis pluribus opposuerat ille Professor, neque pluribus eum censui exagitandum, unicè Thesi sequenti respondens: *De libertate amoris beatifici sic loquitur, ut non obscurè prodat infirmitatem suam.*

Moverat hanc litterariam litem præfatus Professor Collegæ nostro, quem graviter accusârat productis testimoniis omnibus, quæ in suo libello ex ejus Thesibus descripsit magnus plagiarius ERASMUS PILIUS. Incumbebat illi probatio, quâ ostenderet libertatem non rectè definitam esse à S. Bonaventura, vel necessitatem non propriè intelligi eam, quæ vel coactionis est, vel merè naturalis, qualis in brutis, pueris, somniantibus, motibus primò primis reperitur, vel denique egisse eum de libertate, quæ requiritur ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ.

Quod si nihil horum præstaret, ne tunc quidem cum sua ei objiceretur infirmitas, causa cadebat, ex regula juris: *Actore non probante reus absolvitur.* Neque sufficiebat imbellis replica: *Qui capere potuit tam solerter mentem sui Collegæ?* Cum enim ex propria ejus confessione jam constaret, illius assertionis hunc, quem tradideram, sensum esse legitimum, nihil à Patrum, nihil à Scholarum sensu dissonum, si nihil opponebat ille Professor, quo plus aliquid intendisse Collegam nostrum probaret, in conclusione sua non esse receptibilis judicabatur ab Eruditis omnibus; objicienti enim crimen, ac præcipuè hæresim, probatio incumbit; in qua si defecerit, Reo Catholicè doctrinam suam exponente, ecquid aliud incumbit actori, quam ut illatam Reo reparet injuriam? Objecit P. DE VOS hæresim Collegæ nostro, cujus doctrinam catholicè exposui, fatente aut saltem cum aliqua veri specie diffiteri non valente ipso P. DE VOS; ergo nihil superest, nisi ut illatam Collegæ nostro reparet injuriam.

Dum hæc agerentur cum Patre DE VOS, prodiit illo ipso anno & mense Thesis Patris GERARDI BOLCK, ejusdem Societatis Professoris, quem Patri DE VOS neque doctrina neque sagacitate comparandum esse fatetur ipse ERASMUS PILIUS quantumvis Patrem BOLCK, ut alterum se diligat. At cum Thesis illa recoctam tantum crambem obtruderet, essetque Thesistæ ille genius, ut multa satis audacter nosset asserere, parum interim solicitus sibi suisque objecta refellere, credidimus meritò eum præteriri posse, maximè quia principali ejus jam cedente, ineptus meritò censebatur, qui in viri sagacissimi choro pedem poneret.

Hic jam expendi velim ERASMI PILII fidem. Agnoscit ille in præfatione Libelli sui secundi, quod Collegæ nostri dogma nusquam repererit, nisi in quibusdam Thesibus meis. Vidit proinde, quæ habeo Thesis 1. §. 6. & §. 3. Thesis 2. quibus solis quæstionem illam latius tractavi & explicavi. Fatetur quoque (quod dissimulare maluit P. DE VOS) eodem planè sensu articulum illum à nobis propugnari, neque enim aliàs tam esset solicitus, ut à Collegæ nostri consiliis excluderer. Ergò imperitis fucum facere intendit, dum libelli sui pag. 55. magna quædam videtur revelare mysteria, quæ pro opportunitate tantum proferenda à nobis erant, nempe quod dum dicit Collega noster *hominem in agendo liberum à necessitate*, hanc mente reservet glossam, quam producet ubi erit opportunum: *Est liber à necessitate coactionis, non verò à necessitate, quæ à coactione distinguitur.*

Reservare

Reservare sibi poterat ERASMUS PILIUS reservationes suas mentales, quibus propitius est magis P. Lessius, cujus causam tuetur, quam Lovanienses illi Doctores, qui Lessium Lessiique Discipulos oppugnare pergunt.

Non est cur reservationes mentales nobis affingat, ubi disertissimis terminis expressimus doctrinam nostram, quam hic iterum repetere non pigebit.

Dicimus itaque cum S. Bonaventura, *arbitrium dici liberum*, *non quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum, sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud, & ideò in actu volendi seipsum movet, & sibi dominatur.*

Libero sic definito apertissimè repugnat necessitas coactionis; principium enim ejus, inquit S. Thomas, est extra nihil conferente vim passo.

Datur prætereà alia necessitas propriè dicta, qualis reperitur in brutis, pueris, somniantibus, motibus primò primis &c. Hanc dicimus merè naturalem, consentimusque S. Bonaventuræ docenti in 3. dist. 18. art. 1. q. 2. quod *si determinatio ad unum sit per necessitatem naturæ tunc tollat arbitrii libertatem.*

Ab utrâque hac necessitate magis liberum dicimus amorem beatificum, quam sit ullus amor viatoris. Liberrimus enim est à necessitate coactionis, cum toto voluntatis conatu in Deum feratur; tantum abest, ut principium ejus sit extra, nihil conferente vim passo.

Liberrimus etiam est à necessitate naturæ, quæ rationis judicium, voluntatisque imperium aut non compatitur, sicut in brutis, pueris, &c. aut prævenit sicut in motibus primò primis. At vero voluntas beatorum appetit amorem beatificum ad sui ipsius imperium; constat enim quod beati Deum velint amare, imo ex perfectissimo rationis judicio, perfectissimo voluntatis imperio velint velle amorem illum; ergò in actu volendi seipsos perfectissimè movent, & sibi perfectissimè dominantur.

Dantur prætereà necessitates quædam impropriè dictæ, sive secundum quid. Talis est v. g. necessitas consequentiæ, sive ex hypothesi; item illa de qua Philalethes opusc. 3. de libert. cap. 8. §. 1. num. 58. *Necessitas ex objecto secundum omnem considerationem bono, quæ est necessitas secundum quid, nihil de ratione propria determinationis diminuens.* Ut nihil diminuit de ratione propriæ determinationis, nihil quoque diminuit de ratione libertatis, quamvis ex confirmatione gratiæ seipsam voluntas immutabiliter moveat ad objectum amatum.

Ab hac fœlicissima necessitate secundum quid, magis est (sed suo malo & infæliciter) liber amor viatoris, quam amor beatificus; neque opus fuisset illud hic repetere, si ERASMUS PILIUS ea, quæ claris terminis erant expressa maluisset attendere, quam reservationes suas; jam pridem enim Patri DE VOS dictum est, ut constat ex §. supra edito; *neque curavit Collega noster probare, quod amor ille immunis sit à necessitate immutabilitatis, tum quia S. Bonaventura dicit eam libertati non repugnare, tum quod naturalis necessitas (sub qua comprehendo necessitatem coactionis) sit sola necessitas propriè dicta.*

Iterum quoque illi occinimus (ne fortè excidat) quod *planè confitemur, & experientiâ ipsâ evidens sit, veram in viatore dari indifferentiæ libertatem.* Imo tam certum nobis est, eam ad meritum requiri in statu naturæ lapsæ, quam est certum, hominem, etiam justum, debere cum timore & tremore salutem suam operari, debere stantem videre ne cadat, debere quemlibet orare, ne nos inducas in tentationem. Addi potest: si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Denique ne ullus possit superesse cavillandi locus, fatemur ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requiri non tantum libertatem à coactione, sed etiam insuper libertatem à necessitate merè naturali, de qua suprà, imo & à necessitate immutabili voluntaria; quantumvis hæc sit tantum necessitas secundum quid, ut supra dictum est.

En doctrinam, si ERASMO PILIO credimus, paradoxam, hæreticam, hyperhæreticam, belluinam, Christianismum funditus evertentem, omnia Sacramenta penitus abolentem, funditus evertentem non tantum Mysterium SS. Trinitatis, sed etiam Incarnationis, totamque doctrinam de peccato originali.

Confundor scribens, hæc annosi Theologi, & Sacerdotis quidem calamo excidere potuisse; fortè confundetur & ille, si viderit, quomodo non tantum nostram, sed præstantissimorum quorumque Theologorum doctrinam atrocissimis illis censuris perstrinxerit; ut sequens §. ostendet.

§. 3.

An nobis sint tam infestæ Thomistarum, Scotistarum, aliorumque Religiosorum Ordinum Scholæ, ut persuadere nititur ERASMUS PILIUS?

ERASMUM PILIUM urit, quod Thesi 5. hist. & alibi gratiæ per se efficacis vindices recensens Molinistarum fronti non semel illiserim illud Carmelitarum Salmanticensium: *Si sacras consideremus Religiones, nullam adversarii persuadere huc usque potuerunt, ut eorum sententiæ in communi subscriberent, vel eam in commmuni tuerentur, cum tamen plures integri ordines, nec infimi subsellii, pro Dominicanorum causa (quæ D. Augustini & D. Thomæ est) omnibus nervis decertent.*

Pro Ordine S. Augustini produxi ipsum Molinæ de Augustino testimonium; item apertam doctrinam Ægidii Romani, Gregorii Ariminensis, quos specialiter sacro illi Ordini præscriptæ constitutiones commendant. Produxi alios varios; sed nihil est quod comparari possit Decreto 1677. P. Nicolai Oliva Ordinis illius generalis, confirmato per Capitulum Generale anni 1679. quo doctrina de gratia per se efficaci ab omnibus Lectoribus tradenda strictissime decernitur.

Pro Ordine S. Dominici luculentissima sunt omnia, nec enim minus nota est illius Scholæ doctrina cladibus Molinæ per Hispaniam Italiamque inflictis, quam doctissimis commentariis, quibus suam sententiam illustravit.

Pro Ordine Seraphico testis est iterum ipse Molina doctrinam hanc Scoto adscribens. Testis est Lemos eandem adscribens Scoto & Scotistis. Testes illi Censores, qui ex hoc Ordine interfuerunt Congregationi de auxiliis, adeò ut nullum sit dubium, quin à sæculo & Molinistæ & Thomistæ illam Scoto adscriberent, illamque tanquam suam Scotistæ propugnárent.

Pro Ordine Carmelitarum luculenta est declaratio Provinciæ Flandro-Belgicæ. Luculentæ dissertationes Carmelitarum Salmanticensium & Complutensium, qui non tantum pro se, sed pro Religiosissimis observantiæ Patribus testimonium ferunt.

Denique tam aperta sunt testimonia pro Ordinibus B. Mariæ de Mercede, Præmonstratensium, S. Francisci de Paula, S. Benedicti, Cisterciensium, S. Hieronymi, Patrum Clericorum Minorum, Cælestinorum, Canonicorum Regularium, Congregationis Oratorii, Capucinorum, ut nemo quidquam his opponere cum aliqua veri specie hactenus potuerit.

Hanc ergo quasi ulturus cladem Molinæ suo illatam, tentavit ERASMUS PILIUS Collegam nostrum Scholis omnibus sistere, & ut solet facilè antè triumphum canere victoriam, finxit eum ab omnibus deseri, ab omnibus repudiari, rideri, anathematizari. Theologo dignum aliquid præstitisset, si Ordinum illorum decreta, aut præstantissimorum ex singulis Ordinibus Doctorum apertas produxisset sententias, quibus doctrina oppugnata concutitur: sic enim facilè apparuisset, quid in illorum placitis probare, quid oppugnare

pugnare propositum nobis foret. Cum verò solitis tantum dicteriis Collegam nostrum impetat, & per Scholas omnes circumducat, fallor, si eruditis omnibus non videatur circumforaneo similior, quam Theologo.

Nos interim pergamus nostram cum Scholis illis celeberrimis firmare concordiam, ut intelligat ERASMUS PILIUS magnopere periclitari dicacitatem suam (qua tam petulanter nostram de libertate amoris beatifici sententiam carpit) apud illas in quibus jam pridem Molinæ scientia media omni argumentorum genere convulsa est.

Antequam id ipsum aggrediar, expressè præmittendum censui ac publicè profitendum, modo planè dispari me tuendam suscipere doctrinam de efficacia medicinalis gratiæ Christi, & aliam de libertate amoris beatifici; nam circà doctrinam de medicinali Christi gratia ita planè sum compositus, ut non dubitem doctrinam illam (prout à majoribus nostris, Schola S. Thomæ totque aliis præstantissimis Religionibus explicatur) esse conclusionem Theologicam ab Augustino & Aquinate clarissimè traditam, post articulos fidei omni exceptione majorem, & veluti ultimâ dispositione definibilem. Hanc & illi defendere possunt prævalidè, qui libertatem amoris beatifici negant.

Cum verò Auctores graves, quorum eruditionem colo ac veneror, oppositum mihi sentire fatear circa libertatem amoris beatifici, quam scio non fuisse tam solemniter in tot congregationibus discussam, ut fuit illa de gratia sub Clemente VIII. & Paulo V. absit ut tam sim præceps, ut tantorum virorum judicium spernere audeam, cum quibus, non obstante hoc qualicumque dissidio, inconcussa permanebit nostra concordia, optantibus illis, ut libertas amoris beatifici solidissimè probari possit, tum ut pluribus modis efficacia gratiæ cum libertate, tum ut ipsa Christi libertas (pro qua nobiscum toto corde decertant) facilius cum præceptis Dei sive positivis sive naturalibus conciliari queat. Ita ergo præstantissimi illi viri circa hanc opellam nostram compositi sunt, ut non dubitent doctrinæ de concordia gratiæ per se efficacis cum libero arbitrio, de libertate Christi, multum lucis accedere, si libertas amoris beatifici solidè probetur. Cæterum, etsi causa cadam, nihil auxiliorum Christi decedere arbitrantur efficaciæ, quam hactenus sese optimè cum libertate conciliasse non dubitant pristinis insistendo principiis.

§. 4.

Quid de libertate amoris beatifici sentiat Ordo S. Augustini?

TAm diu credam præcipuos hujus ordinis Professores propendere in sententiam nostram de libertate amoris beatifici, quamdiu nemo solidè refellet, quæ pro illa novissimè produxit Exim. D. HUYGENS Collega noster ex Augustino, cujus sententiam SS. Anselmus & Bernardus aliique plures secuti sunt. Sed ad Scholasticorum tempora propero, quibus præcipuè floruerunt Ordines illi, quos omnem Collegæ nostro negaturos asylum pro more suo spondet nugaturque ERASMUS PILIUS.

Thomas Argentinensis Ord. Eremitarum S. Augustini Prior Generalis, qui obiit anno 1357. in suis Commentariis plura nobis tradit principia, è quibus hæc doctrina non obscurè eruitur, quale illud inprimis est in 3. dist. 12. *Necessitas immutabilitatis preveniens ex perfectione virtutum non tollit rationem meriti sed auget.* Ne verò suspiceris hanc esse necessitatem propriè dictam, explicans paulo post, cur potius sit Christus liber in omni actu suo determinatus ad bonum, quam agens naturale determinatum ad unum ita prosequitur dist. 18. art. 3. *Agens naturale non prohibetur à merito ex hoc, quod est determinatum ad unum, sed ex modo determinationis, puta quod necessariò & non voluntariè tendit in illud unum. Sed Christus & quilibet in gratia confirmatus, licet determinatè tendat in bonum, tamen voluntariè*

tariè & liberè tendit in Ipsum. Hujusmodi enim determinatio non minuit voluntatem & libertatem, sed potius auget, & ideò talis determinatio non repugnat merito.

Quisquis ita loquitur, imbutus fuisse videtur doctrina, quam omnibus Doctoribus sui temporis adscribit Thomas Braduardinus Argentinensi contemporaneus. Is autem lib. 2. de causa Dei cap. 2. quæst. 9. quærenti; *nunquid de essentia liberi arbitrii sit naturaliter libertas seu possibilitas contradictionis, & hoc respectu cujuslibet actûs sui.* Respondet, *oppositum est certum de libero arbitrio Dei, quo diligit se, de libero arbitrio, quo qualibet personarum divinarum diligit quamlibet aliam & seipsam.* Ulterius quærenti: *nunquid liberum arbitrium, quod de se naturaliter est contradictionis, semper liberè secundum contradictionem possit in oppositum cujuslibet actus sui.* Respondet iterum: *Oportet distinguere tempora & liberi arbitrii qualitates; pro tempore namque & qualitate beatitudinis confirmata non potest, sicut ratio beatitudinis confirmata demonstrat, & OMNES DOCTORES CATHOLICI VNANIMITER CONTESTANTVR.* Ex his principiis elicit hoc corollarium: *quod non ideo dicitur liberum arbitrium, quia liberè potest velle & nolle quodcumque, sed quia liberè potest velle quodcumque volubile, & nolle quodcumque objectum suum nolubile*; vel ut paulo infrà: *Non ideò dicitur liberum, quia liberè potest in oppositum cujuslibet actus sui, sed quia ex rationali arbitrio sive judicio spontaneè illum agit.*

Si hac doctrina erant imbuti Doctores omnes anno 1349., quo obiit Braduardinus, eam jam hauserat Argentinensis, qui octo tantum post annis id est 1357. obdormivit in Domino.

Eandem doctrinam his auribus excepi in Scholis nostris ab Eximio P. Christiano Lupo, quem secutus est Eximius Pater ac Magister Ledrou in sua Patrum Triade cap. 2. §. 1.

In qua illud est notabile, quod ex Angelico Doctore actum humanum definiat: *Actionem propriam homini, quatenus homo est: actionem cujus homo est dominus. Actionem ex deliberata hominis voluntate procedentem.* Tum addit: *Quam definitionem sic accipimus, ut hominis actionem, nisi contradictionis libertate libera sit, actum humanum esse inficiemur.* Ac tandem quærit, *an*, positis his principiis, *amor beatificus sit actus humanus? In rigore certè esse putem*, inquit. *Totus verò abnuo, supposito quod sit actus necessarius.*

Sentire videtur disertissimus ille Magister cum Gabriele Biel in 3. dist. 18. art. 3. ubi agens de libertate beatificæ dilectionis; *negetur*, inquit, *quod actus beatitudinis sit simpliciter necessarius, quia sive sit immediatè à Deo, sive elicitus à voluntate, est liberè elicitus; & ità contingens. Est tamen immutabilis & perpetuus, contingenter, non necessario, quia à voluntate divina perpetuò conservatur, cujus certitudinem habet beatus per divinam revelationem. Est ergo beatitudo immutabilis, quia non mutabitur, non autem immutabilis, id est, impossibilis mutari: posset enim Deus eam mutare de potentia absoluta.*

Si ab hac magistrorum Collegarumve suorum doctrina abire placuerit quibusdam hujus instituti professoribus sententiam oppositam præferentibus, non reprehendo; imo in hoc planè eos lando, quod veritatem, etsi, quantum capio, non perceperint, certè quam percipere putârunt, dilectissimo Professori suo prætulerunt, nec personam veriti libere elegerunt aperire, quod sentiunt.

Sufficere hæc interim arbitror, ut sperare mihi liceat non tam in hac Schola desperatam esse Collegæ nostri causam, ut nullum in ea asylum inveniat, quæ ejusdem doctrinæ vindicem veneratur hodie ut præcipuum hujus provinciæ firmamentum & columen. Tantum abest, ut suspicari liceat, quod tam effrenis E r a s m i P i l i i petulantia inventura sit deinceps ibidem patronum & vindicem.

§. 3. Quid

§. 5.

Quid de libertate amoris beatifici sentiat Ordo S. Dominici?

EAm fore semper sacri hujus Ordinis sententiam, quæ Angelico Doctori visa fuerit conformior, nemo ambigit. Utinam tam expedita foret illa quæstio, quâ quæritur, quænam præcisè fuerit Angelici Doctoris sententia. Hæsit Capreolus expendens locum D. Thomæ in 3. sent. dist. 18. q. 2. art. 2. ad 5. ubi tam disertè docet Angelicus Magister, quod etiamsi (liberum Christi arbitrium) *esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, atque ita est actus sui Dominus.* Apertis itaque verbis vim inferre noluit, & ingenuè fassus est hanc olim fuisse D. Thomæ sententiam in 3. dist. 18. suprà citata. Capreolum multi hodièque sequuntur, quanquam & à D. Thomæ relata doctrina, & à nobis dissentiant arbitrantes esse firmius adhærendum doctrinæ per S. Doctorem jam senem consummatumque Theologum in Summa traditæ, quam iis, quæ junior libris sententiarum inseruit.

Æquitate plena est illa resolutio cui subscribo, si Sancti Doctoris testimonium proferant, quo veterem doctrinam apertè corrigat, vel eam expressè retractando, vel oppositam tam luculentè exponendo, ut oleum & operam perditurus sit, qui D. Thomam conciliare secum tentaverit. Aliàs enim illos ipsos fassuros arbitror, magnum esse pro nostra sententia præjudicium, quod in libris sententiarum D. Thomas eam tradiderit, omnibusque Angelicæ doctrinæ zelatoribus strenuam esse dandam operam, ut si fieri potest, prior S. Doctoris sententia posteriori probetur non esse difformis. Præstitit hanc scholæ suæ gratissimam operam Exim. P. d'Aubermont, quem zelosum fuisse vindicem sententiæ nostræ de libertate amoris beatifici tot sunt Lovanii testes, quot fuerunt illi familiares, quam nec in publicis scholæ nostræ actibus dissimulavit. Et hic ille est, quem, juxta P. DE VOS, *venerari debeo, ut membrum prænobile sacræ strictæque facultatis. Audiat*, inquit, *Eximium Patrem d'Aubermont, qui tam gloriosè decertavit pro Sede Apostolica, & infallibilitate summi Pontificis.*

At scio, quod quemadmodum visis iis, quæ ex Thesibus Eximii illius Patris produxeram pro efficacia medicinalis gratiæ Christi, obmutuit P. DE VOS sentiens à viro tantopere laudato sic suum vapulare Molinismum, ita ERASMUS PILIUS ori digitum, fortè apponet & pessulum ne quid de Doctore illo incautè excidat, neque conveniet cum Patre Lemos, alias à me tantopere commendato; & quamquam cane pejus & angue eum ceu Molinæ flagellum oderit, ejus tamen opem non respuet, si qualescumque susceptæ causæ suppetias ferat.

Fateor in hac opinione repugnare mihi Thomam Lemos, eumque præstantissimis illis accenseo viris, qui me remorantur, ne tantâ certitudine adhæream huic articulo de libertate amoris beatifici, quam illi alteri de efficacia medicinalis gratiæ Christi, ut supra dictum est. Adhæreo Patri Lemos, ut illi in hac controversia adhæsit P. d'Aubermont.

Ne tamen hic plus æquo exultet ERASMUS PILIUS, expendat primò, nec ab ipso Thoma Lemos eam tradi ut certam, nam tom. 3. lib. 3. part. 1. tract. 1. c. 19. num. 190. oppositam adscribit Scoto, non dubitans, quin tam in hac quæstione, quam in cæteris Scotum suum celeberrima ejus Schola sequatur. Suam ergo Lemos defendit ut probabilem, cui favere D. Thomam, repugnare Scotum censuit.

Expendat secundò, Thomistas illos, qui nobis adversantur in hac quæstione, manere conjunctissimos in pluribus, quæ si sententiam nostram non ita stabiliant, ut certa omninò

ninò & indubitata sit, viam tamen nobis aperiunt, per quam præcipua quæque Molinistarum argumenta vel declinare, vel elidere possimus. Nam accuratissimis Thomæ Lemos commentariis debemus, quod vulgatam hodiè liberi arbitrii definitionem (*est potentia, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere & non agere*) cum explicatione Molinistarum rejicere nobis libertimè liceat; *hanc enim definitionem cum explicatione sua*, inquit Lemos tom. 3. lib. 3. part. 1. tract. 2. cap. 3. num. 29. *non ex Aristotele, aut doctrina ejus, non ex Augustino aut SS. Patribus, nec ex Magistro Sententiarum, S. Thoma, aut Doctore aliquo ex gravioribus, sed ex Almaino in suis moralibus didicerunt prædicti Auctores, licet Almainus explicationi eorum non multum arrideat. Solet Scoto tribui, sed ipse explicationem prædictam nullo modo admittit, in tantum ut ipsum Scotum destructorem libertatis Molina nominet.*

Thomæ Lemos consentit Alvarez sano sensu, sed Molinistis fatali illam definitionem explicans, & Molinistarum explicationem vehementer impugnans. Ne explicatione quidem nonnulli Thomistæ eam dignantur, quia non tanti faciunt Almainum, ut confictæ ab eo definitionis expositione velint graviter occupari. Simpliciter eam rejicit Ledesma. *Hæc definitio*, inquit disp. de Auxiliis controv. 7. art. 1. *neque apud Aristotelem, neque apud S. Thomam, neque apud gravem Auctorem, nisi apud Almainum & alios nominales reperitur.* Tamquam ab Almaino *confictam* spernit Medina, liberrimè pronuntians 1. 2. q. 10. art. 4. Quod (Almainus) *dat definitionem libertatis seu liberi pro sua phantasia, dicens quod ad libertatem sufficit ac requiritur, quod positis omnibus præviis necessariè requisitis ad agendum sit in potestate voluntatis agere & non agere.*

Consonant Cabezudus tract. de Auxiliis q. 1. versus finem, Navarettus tom. 2. contr. 12. §. 2. aliique plures.

Expendat tertiò ERASMUS PILIUS, Thomistis esse certissimum, quod rectè & propriè Christo Domino præceptum de morte impositum fuit absolutè, & sine conditione ulla minuente rationem præcepti; adeò ut sententiam contrariam impugnet Lemos tom. 2. tract. 5. De Christi Domini prædest. cap. 13. num. 135. *Tanquam novam, nunquam auditam, nec à SS. Patribus aliquando insinuatam, sed ei potius*, inquit, *omnes adversantur, quia juxtà Scripturas, quæ indubiè sunt plurima, semper docuerunt, Christum verè ex obedientia fuisse passum, & ut adimpleret Patris divinum præceptum.*

Hic non hæret Lemos, sed & cap. 15. n. 173. *Si tandem in hac materia instes*, inquit, *quomodo potuit esse in Christo libertas respectu dilectionis Dei, & aliorum præceptorum decalogi, quæ habebant necessariam connexionem cum fine, ad quem Christi voluntas naturaliter determinabatur, & ut sic Christi voluntati per intellectum proponebantur.*

Ad hanc, rejectâ aliquorum sententiâ asserentium Christum in illis non meruisse meritò ab omnibus rejiciendâ (ne quid gravius de illa dicam) dicendum est, quæstionem procedere de Christi dilectione erga Deum, quatenus dilectio viatoris.

Utinam, perorante apud Thomistas contra Collegam nostrum ERASMO PILIO, prospicere liceret per Cancellos, quis ei sensus foret, dum sua ei placita exponeret Schola Angelica. Ut ferocis est & impotentis animi, vix dubito, quin discipulis Patris d'Aubermont, non minus quam Collegæ nostro, petulanter insultaret, eos hæreticis, belluis monstrisque æquiparans.

At discipulos Patris Lemos, qui doctrinam nostram censerent probabilem frigidiusculè quidem primum exciperet, sed portenti loco haberet sic negari definitionem liberi arbitrii tam charam & receptam; sic vapulare sententiam suam de libertate Christi tam circa Dei præcepta positiva, v. g. de morte subeunda, quam naturalia, ac præcipuè de dilectione Dei; sic nostræ de libertate amoris beatifici viam sterni: quis non hic ejulatus; quæ non timendæ forent lachrymæ? nisi fortè sacratissimum hunc Ordinem ridere mallet,

illisque

illisque adscribere, quod tam bellè censuit Collegæ nostro quadrare ex Isaia c.19. v.14. *Dominus miscuit in medio* (Sacri Ordinis Prædicatorum) *spiritum vertiginis, & errare fecit eum sicut errat ebrius & vomens.*

Quam ille Collegæ nostro lib. 1.p.33. impendit, illi ego charitatem rependo, hortorque ut quantocyus jam totus implumis præcipuisque suis contra doctrinam nostram machinis destitutus & exarmatus se proripiat è Schola hac Catholica, ne incidat in foveam quam fecit, & vapulet flagellis, quæ contexuit. Si maneat diutius, petulantiam ejus Schola illa non feret, sed ut superiori sæculo in Hispania, in congregationibus de auxiliis ejus Collegæ, sic ille à Thomistis vapulabit horrendum in modum. Hæret tamen, flagellaque deprecatur pallio se involvens Thomistico, & inclamans illud D. Thomæ à Patre DE VOS toties decantatum ex 1. p. q. 60. art. 5. ad 5. *Quicumque videt Deum per essentiam, impossibile est, quin diligat ipsum.* Compatior viro ad extrema redacto, cui hoc unum superest, quo imminentia sibi vulnera declinet.

Æquum lectorem oro, ut articulum illum dignetur attendere, videbitque agi in illo de dilectione quadam Dei naturali, quam & nos libenter fatebimur non esse liberam, cum in ipsis dæmonibus eam reperiri doceat ibidem Doctor Angelicus; & Lemos tom. 3. lib. 3. part. 2. tract. 2. cap. 20. num. 279. sic magistri sui sensum explicet, ut sententiæ nostræ obesse non possit. Ecquid enim est illa dilectio, nisi, ut ait Lemos, *natura inclinatio, quâ naturaliter & sine libertate omnis pars plus diligit totum quam seipsam, hâc præcisa ratione quâ totum est..... Unde & peccator & dæmon se diligentes naturaliter plus in tali dilectione implicitè & reipsa Deum quatenus est totum & bonum universale diligunt.* In principiis nostris nimis ille peregrinus foret, qui omnem voluntatis inclinationem quamvis voluntatis super se reflexionem præcedit, liberam esse prætenderet, neque enim dubitamus, quin detur inclinatio sive propensio ad bonum in communi, quæ nullo modo sit libera, cum eam voluntas non appetat ad sui ipsius imperium, non sic velit eam, ut velit se velle, nec in actu volendi seipsam moveat & sibi dominetur. De qua cum ibidem unicè agat D. Thomas, dum eam ipsis quoque dæmonibus dicit esse communem, nihil inde contrà nos potest confici.

Quod si extra circumstantias ante expositas expenderetur locus ille seorsum, ne sic quidem doctrinæ nostræ obesset, si conformiter ad doctrinam Scoti intelligeretur de impossibilitate, quæ modum agendi proprium voluntati, in quantum voluntas est, non mutaret. Neque enim dicturum arbitror ERASMUM PILIUM quod D. Thomas, qui tantopere exaggerat necessitatem divinæ motionis, humanam destruxerit libertatem, dum scripsit 1. 2. quæst. 10 art. 4. ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur.* Minorem habet difficultatem locus ex 1. p. q. 82. art. 2. in corp. quæ tam ex antedictis quam aliis primâ fronte evanescit.

Ita nec ex ipso D. Thoma, nec ex Thomistis habet ERASMUS PILIUS quod glorietur, mirorque si aggredi audeat solutionem locorum, quæ ex Angelico Doctore illi objecit Collega noster parans plura, si ERASMUS pro more suo non maluerit novas fingere controversias, quàm ea refellere, quæ ei objiciuntur.

§. 6.

Quid ab Ordine S. Francisci nobis timendum?

Suadet ERASMUS PILIUS lib. 1. pag. 81. nè ad hujus sacri Ordinis Scholam Scotisticam confugiat Collega noster; *timendum*, enim, *ut evadat integer*, quia *subtilior est hæc schola, quam ut fraudem non percipiat.* A Molinæ sui placitis hic abit PILIUS, neque

neque enim alias tam studiosè Collegam nostrum ab hac schola diverteret. Manifestum censuit Molina sententiam Scoti de divino influxu in causas secundas esse plusquam periculosam in fide. Manifestum censet Pilius Collegæ nostri dogmata esse hæretica, super-hæretica, & bellnina. Ergò hanc scholam adeò exhorrere Collega noster non debuit, si dogmata tradens hæretica illius imploret auxilium, cujus doctrina est plusquam periculosa in fide.

Doctrina Scoti de libertate amoris beatifici adeò disertè expressa est, ut nullâ possit tergiuersatione negari, quemadmodum demonstrant illa quæ ex Scoto produxit Collega noster. Nec eam esse Scoti dissimulavit Lemos; ingenuè confessus, ut dictum est, beatum esse liberum quoad exercitium amoris beatifici. Ex qua controversia inter Scotum & Lemos intelligimus, quo sensu tunc intelligeretur sententia Scoti; neque enim dici potest Lemos intellexisse sententiam Scoti tantum de libertate à coactione, quam nec ipse Lemos, nec alius quilibet umquam negare potuit amori beatifico.

Egit ergo de libertate propriè dicta, quæ reddit opus laude vituperiove dignum: Quam quam enim indagando libertatis propriè dictæ naturam, non opus sit spectare rationem meriti vel demeriti, spectari tamen debet, ut opus tali præditum libertate dignum laude vel vituperio dici queat.

Libertas est in Deo, est in bonis Angelis, est in malis. Laudandus est Deus in omnibus, spernendus est dæmon in omnibus, licet nihil mereantur vel demereantur.

Si rectè expendatur, unde laus actûs petenda sit, mihi persuadeo, quod inde rectissimè petemus actûs laudem, unde ejus petemus perfectionem. Hinc explicari mihi velim, quî fieri possit ut actûs perfectio petatur ab indifferentia hominis lapsi quæ tantum cognitionis negationem vel defectum in eo notat. Non ergò ex parte actûs, sed ex Dei ordinatione petendum est, quod in statu naturæ lapsæ sine tali indifferentia non possit actûs esse meritorius vel demeritorius, potuitque v. g. Christus, qui corruptioni naturæ lapsæ non fuit obnoxius, per quosdam actus mereri, in quibus nulla talis erat indifferentia. Unde Scotus in 3. dist. 18. q. 1. dicit *Christum meruisse omni actu secundum naturam humanam, etiam actu beatifico, quo secundum portionem superiorem fruebatur Deo.* Quamquam si scrutari magis intimè libeat, ne omnis quidem indifferentia, saltem ex parte ipsius potentiæ (ut subtilissimè explicavit Scotus) per amorem beatificum à creatura rationali tollatur; imò optimè intelligitur paratissimos esse sanctos omnes, clarâ Dei visione, ac proinde & amore beatifico carere, si Deus ita ordinârit, cujus nutibus servire, regnare est.

Illud etiam facilè intelligitur, sic esse dispositos sanctos omnes inferioris meriti, ut si, aucto lumine, eminentiores in verbo viderent rationes diligendi Deum, deserto priori, sublimiorem amorem elicerent, quod certè fieri posse non ita parergum est, cum non desint celeberrimi Theologi, qui sustineant non tantum extensivè sed & intensivè augendam fore beatitudinem post resurrectionem.

Si ne illæ quidem arrideant hypotheses; pone Paulum raptum ad tertium cælum, videntemque Deum facie ad faciem, non dubitabis quin Paulus sic Deum tunc amârit ut pro electorum salute paratus fuerit, Deo sic ordinante, ad vitæ hujus redire miserias. Intelligimus proinde amorem beatificum ita totam penetrare voluntatem, ut præcipuè in ea operetur plenissimam erga divinum beneplacitum submissionem, adeò ut dubitandum non sit, Sanctos omnes, Deo sic ordinante tam paratos esse terram repetere, ut annuntient mirabilia Dei, quam fuerit paratus Paulus, postquam audierat arcana verba, quæ non licebat homini loqui.

Et hæc quidem promptitudo voluntatis satis ostendit illam potentiæ indifferentiam, de qua suprà, dum ex ea constat, ad hunc amorem non determinari sanctos naturæ ne-

cessi-

cessitate, sed confirmatione gratiæ, ex merâ ordinatione Dei, qui beatitudinis impedimenta omnia removere decrevit. Sic & intelligimus amorem illum laude esse dignissimum, cui proinde adscribenda est propriè dicta libertas, & non tantum libertas à coactione, non tantum naturalis spontaneitas, qualis in pueris, somniantibus, & ipsis quoque brutis reperitur, à qua non possunt actus humani laudem vel vituperium obtinere.

Hanc doctrinam præ cæteris omnibus constantissimè defendit Ordo S. Francisci, in quo primus occurrit Doctor irrefragabilis Alexander de Ales, cujus opus in Theologia approbatum est Innocentii IV. & Alexandri IV. Bullis, & sexaginta Magistrorum Parisiensium sententia. Tantus ergo Doctor disertè docet 2. parte quæst. 72. membro 6. art. 2. quod *liberum arbitrium humanum de se est causa contingentium; quod autem in futuro erit causa necessariorum, hoc est ex superadditione determinationis, qua est à justitia causa prima retribuentis.* Ne vero te necessitatis nomen conturbet, cum memb. 3. art. 3. ejusdem quæstionis ex Bernardo sibi hoc formasset argumentum: *Ubi est necessitas, non est libertas*, sed in Angelis est necessitas ergò. Respondet *quod est duplex necessitas, inevitabilitatis & coactionis. Necessitas coactionis* (sub qua comprehende merè naturalem juxta illius ætatis phrasim) *tollit liberum arbitrium, sed non necessitas inevitabilitatis. Licet ergo in Angelis sit necessitas inevitabilitatis, nihilominus tamen liberum arbitrium. Unde Bernardus; QUOD DIABOLUS NON POTEST BONUM, NON EST EX ALIENA OPPRESSIONE, SED EX VOLUNTARIA OBSTINATIONE, ET OBSTINATA VOLUNTATE.*

Tum conformiter loquens de Christo memb. 3. art. 5. *Cum dicitur*, inquit, *quod liberum arbitrium Christi non potuit peccare, hoc dicitur non ratione naturæ in se consideratæ, sed ratione gratiæ unionis per quam confirmatus fuit in bono; unde si esset natura humana separata à divina, & non esset per gratiam confirmata, esset possibilis ad peccatum. Illud ergo quod dicitur, quod liberum arbitrium est, quo homo potest peccare & rectè agere, intelligitur ratione naturæ; quod vere dicitur, quod Christus non potuit peccare, hoc dicitur ratione gratiæ.*

Ne in apice quidem à Magistri sui vestigiis declinat S. Bonaventura, cujus eadem est doctrina in 2. dist. 25. q. 2. ubi tam apertè docet, *Arbitrium dupliciter posse dici liberum, aut secundum quod liberum, aut secundum quod deliberans. Si loquamur de ipso secundum quod liberum, sic concedo quod potest esse non solum respectu contingentis, sed etiam necessarii, sicut patet in Deo, in Christo, & in Angelis, & in hominibus beatis. Cum enim duplex sit necessitas, videlicet coactionis & immutabilitatis, necessitas coactionis repugnat libertati arbitrii, non autem necessitas immutabilitatis, eo quod arbitrium dicitur liberum, non quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum, sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid ut velit se velle illud, & ideò in actu volendi seipsum movet, & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.* Hic iterum repeto, non minus Bonaventuram quam Alensem sub necessitate coactionis comprehendere merè naturalem, ut ille disertè exprimit in 3. dist. 18. art. 1. q. 2. *Determinatio potentiæ ad unum*, inquit, *potest esse dupliciter, videlicet per necessitatem naturæ & per confirmationem gratiæ. Si sit per necessitatem naturæ, tunc tollit arbitrii libertatem, ac per hoc tollit dignitatem meriti. Si autem sit determinatio per confirmationem gratiæ, cum talis confirmatio simul stet cum libera voluntate, sic non tollit ab ipso opere bonitatem meriti, cum sit voluntarium, ac per hoc nec qualitatem meriti. In Christo autem fuit liberum arbitrium determinatum ad unum non per necessitatem naturæ, sed per confirmationem gratiæ.*

Doctrina S. Bonaventuræ tantoperè placuit Nicolao de Orbellis, ut Bonaventuræ verbis quam suis maluerit eam exprimere in 2. dist. 25. "Dicitur liberum arbitrium sim-
„ pliciter, non quod sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum, sed quia omnia quod

„ vult; appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud, & „ ideò in actu volendi seipsum movet, & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum „ quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.

Hæc est doctrina illius Bonaventuræ, quem Collegæ nostro tantopere commendat ERASMUS PILIUS hortans, ut aures occludat consiliis aliorum quorumdam, quos non dubitat dogmata Bonaventuræ contraria illi instillaturos. " Si assessores placet assu„ mere, inquit pag. 5. lib. 2. Noli assumere tuum principalem FRANCISCUM VAN „ VIANE, tuumve adjutorem JOANNEM LIBERTUM HENNEBEL. Vereor ne „ isti sine ulteriori examine aut deliberatione suadeant ut mordicus tuearis, quod semel „ concepisti dogma. Assessores assume, veritatis quam præconceptæ opinionis amantio„ res. Assessores assume Sanctos Patres ac Theologos antiquos, Doctorem v. gr. Angeli„ cum aut Seraphicum. „

Expendat ERASMUS, quid suo immineat capiti, si ab electo judice non appellârit; nimis enim Seraphici Doctoris fulget sententia, quam ut possit vanæ ac imperitæ dicacitatis fumo quodam obnubilari.

Alensem ac Bonaventuram ponè sequitur Richardus à Media-villa ejusdem Ordinis Theologus, qui Bernardi doctrinæ (quam in 2. dist. 7. art. 1. q. 2. ad 2. explicat.) consentiens, " Necessitas, inquit, quâ Angeli non diligunt nisi bonum, non est necessitas „ coactionis, quia nonobstante illa necessitate liberrimè motu dilectionis movent se. Et „ simili ratione docet (Bernardus) quod obstinatio libertatem à necessitate non tollit, nec „ minuit; sed obstinati (dæmones) per suum liberum arbitrium ad malum movent se „ liberè. „ Conformiter ad hæc libertatem Christi cum benè agendi quâdam necessitate sic conciliat in 3. dist. 12. art. 2. q. 1. ad 2. *Quamvis necessitas coactionis tollat rationem meriti, vel demeriti, necessitas tamen, qua est ex perfectione bonitatis non tollit rationem meriti in viatore.*

Tempus me deficiet, si cæteros Ordinis hujus Auctores colligere voluero; cum enim tam evidens sit Magistrorum doctrina, necesse est, ut paria senserint omnes in hoc Ordine Discipuli, qui suprà Magistros suos sapere noluerint.

Liberè diximus jam pridem, iterumque dicimus, doctrinam de gratia per se efficaci à sæculo fuisse familiarem Scotistis omnibus, neque hactenus comparuit, qui assertionis hujus producta fundamenta convelleret.

Non video cur pari libertate dicere non liceat, eandem Scholam vindicasse jam pridem amoris beatifici libertatem, cum ne ipsi quidem Scotistæ nec Scotistarum adversarii illud ipsum à sæculo negarent.

Eat nunc ERASMUS PILIUS, fraudesque nostras huic Scholæ detegat, quæ usque ad tempora Lemos nihil fraudis in Scoti sui vel Bonaventuræ doctrina latere credidit. Sed subtilior est illa, ut Scoti Advocatum patiatur esse discipulum Molinæ, cui manifestum fuit doctrinam Scoti esse plusquam periculosam in fide.

§. 7.

Quid nobis timendum ab aliis Religiosis Ordinibus?

TImendum monet PILIUS à Schola filiorum S. Eliæ, quia *non ignorat* Collega noster *spiritum zelosissimi illius sancti etiamnum vigere integrum in filiis, qui exemplo sui Patriarchæ fulmina sollicitabunt Vaticana.* Spiritum zelosissimi illius Patriarchæ viguisse integrum in filiis tunc præcipuè vidimus, cum Germanum Philalethem Eupistinum apud Apostolicam Sedem tam graviter accusarunt Molinistæ, sed irrito conatu Vaticana sollicitâ-

licitârunt fulmina. Imo verò zelosissimi illius Patriarchæ filii illatam Collegæ reparaturi injuriam suæ non semel Provinciæ eum præfecerunt, ut orbi testarentur universo, nihil esse in Philalethis libro tantoperè à Molinistis exagitato, quod eum à primis illius Ordinis capessendis dignitatibus justè remorari posset.

Hic tamen est ille Philalethes, qui tam operosè pro stabilienda libertate amoris beatifici desudavit toto opusculo tertio tom. 2., probans suam doctrinam non tantum SS. Augustino & Thomæ, sed omnibus quoque Thomistarum principiis esse conformem. Unde sic eos in ipso opusculi proëmio affatur num. 3. *Unum ante omnia ab Angelicis requiro discipulis, ut conclusionem nostram de dominio amoris beatifici non in se considerent, sed in principiis, ex quibus deducitur; videbunt me ne latum quidem unguem à principiis recedere Thomisticis,.... Si cum veritate nostræ assertionis stet veritas principiorum, quæ communiter à Thomistis traduntur quoad formalem libertatem & indifferentiam judicii, confido in Domino, non male laturos veritatis Thomisticæ amatores, si ad conciliandum discipulum Magistro, S. Thomam S. Augustino, si, inquam, ex dictis principiis communiter ab omnibus Thomistis receptis non tam novam conclusionem, quam antiquam novè deduxerim in memoria habens illud Vincentii Lirinensis, ITA DOCENS UT DUM DICIT NOVE, NON DICAT NOVA. Concordem ubique gemini Ecclesiæ solis mentem* in his Philalethis opusculis se *conspexisse* testatur Exim. D. Nicolaus Josephus de la Verdure S.T.D. & Professor Regius in Academia Duacensi; imo & addit, secundum hunc tomum adeo sibi probari, ut *non solum novo prælo dignum judicaverit, sed & ipse curaverit, ut quam primum lucem videret ad majorem cordatorum utilitatem, & gemini Ecclesiæ solis concordem gloriam.*

Parem cum Philalethe subiit aleam Macarius Havermans Canonicus Præmonstratensis, pari zelo accusatus à Molinistis Vaticana fulmina perpetuò minantibus; & pari æquitate à S. Congregatione absolutus, quia firmioribus nitebatur fundamentis ejus hac in parte doctrina, quam ut concuti tam facilè posset. Ne censuræ quidem umbram, quidquid niterentur, extorquere potuerunt æmuli ejus, quem Augustini veritas scuto suo circumdederat, ut totum ejus Ordinem traditâ ei Regulâ perpetuò dirigit. Quam multi ex eodem Ordine subscribant sui Havermans sententiæ, nec ipsos Molinistas latere potest.

Eandem validè tuetur Guilielmus Gibieuf Congregationis Oratorii Presbyter & Doctor Sorbonicus in libris suis de libertate Dei & creaturæ. Præ cæteris aliquid debet ERASMUS PILIUS huic Auctori, cujus laborem æternitati inscribendum; omnibus probandum, omnibus profuturum auguratus est in sua illius libri censura Isacius Habertus ERASMO PILIO tam charus.

Vulgatam libertatis definitionem eo habet loco hîc Auctor, quo Thomistæ suprà citati. *Recentiores*, inquit lib. 1. cap. 32. num. 9. *Ut Almainus & alii nonnulli suam liberi definitionem subjungunt: LIBERUM ESSE, QUOD POSITIS OMNIBUS AD AGENDUM PRÆREQUISITIS EX PARTE PRINCIPII POTEST AGERE ET NON AGERE. Nec illam omnibus aliis præponere erubescunt, cum nulla fortè non ei anteferenda sit.* Principia varia per duos libros tradit, quæ illi definitioni, prout à Molinistis explicatur, è diametro adversantur, è quibus concludit libri 2. cap. 27. num. 3. " Cum ea sit rerum omnium & ,, perfectionum natura, ut quo ad principium propius accedunt, eò uberiores sint & ,, lætiores, libertatem ad Deum reductam beatissimo gloriæ statu locupletiorem fore...... ,, Libertas summi & universalis boni amplitudine constat. Quicumque illius capax est, ,, in libertatis ingressu versatur. Quicumque ad illud tendit, in libertate progreditur. ,, Quicumque tandem plenâ perfectâque possessione illud adeptus est, in libertate quo- ,, que consummatus est. *Miratur ibidem num. 2. placere quibusdam*, liberos esse sanctos ,, circa objecta secundaria, non circà primarium; non liberos in exercitio amoris Dei, ,, sed liberrimos in sua intercessione pro viatoribus. At hoc ipsum est, *inquit*, quod nul-

,, hatenus constare posse contendimus. Si enim sancti nihil velle nec agere possint ; nisi ,, attendendo ad Deum claré visum, ut habet D. Thomas, & ne latum quidem unguem ,, à divina voluntate discedere queunt, quam necessarium eis est amare Deum, tam ne- ,, cessario eis incumbit, ut orent pro viatoribus omnibus, pro quibus id Deum velle per- ,, spexerint.,,

Facile esset plura corradere, quibus ERASMI PILII confunderetur maledicentia, quâ nos tanquam hæreticos, Hyper-hæreticos, belluasque depinxit, sed hæc sufficere arbitror, ut æquus lector statuat, quibus deplorandum sit lacrymis, sacris quotidiè altaribus adstare Sacerdotes, sumereque pacis ac charitatis Sacramentum, dum nihil minus quam pacem charitatemque cogitant, ne quidem solliciti tam evidenter illatam variis injuriam reparare.

Poteſtne major cuipiam inferri injuria quam si de hæresi, Hyper-hæresi, commentis belluinis monstrosisque notetur? Potuitne quispiam infælicius ERASMO PILIO nobis ea affingere? Libelli interim illi ubique sparguntur, omnia commoventur, neque unquam, agnitâ etiam veritate è fidelium hæreticorumve manibus excutientur. Ignoscat Dominus reis, augeatque læsis & innocentibus fortitudinem, ut hos non conturbet, quidquid eis acciderit.

Meliora spero & paci viciniora à Religiosis illis Ordinibus, quorum doctrinam de libertate amoris beatifici paucis hic explicui, speroque placiturum nobis deinceps (quod placuit hactenus, Augustini consilium lib. 2. de genesi ad litt. cap. 18.) *Ut nempè servata semper moderatione piæ gravitatis nihil de re obscura* (qualis est libertas amoris beatifici) *temerè credamus, ne fortè quod posteà veritas patefecerit, propter amorem nostri erroris oderimus.*

Tam diu credam rectè cum sententia hic propugnata majorum nostrorum doctrinam me conciliasse Thesis 1. §. 6. donec solide expositio data expugnetur. Interim propero ad refutandos alios articulos, super quibus novam nobis movere placuit ERASMO PILIO controversiam per secundum libellum.

§. 8.

An ERASMUS PILIUS *doctrinam Collegæ nostri de necessitate gratiæ fælicius exagitet, quam ejusdem doctrinam de libertate amoris beatifici?*

Totus in eo versatur ERASMI PILII Libellus secundus, ut exagitet hoc Collegæ nostri dogma ex Compendio 1679. pag. 24. *Non datur omnibus gratia sufficiens..... Neque verum est, quod sine gratia sufficiente adulti non essent liberi ad supernaturalium præceptorum adimpletionem.* Illi quadrare censet lib. 1. pag. 65. & 66. quod de Facultate Lovaniensi scripsisse dicit Joannem à Stryen Episcopum Middelburgensem ad Illustrissimum Mechliniensem 19. Feb. 1588. his verbis: " Ut Africa semper aliquid monstri, ita hæc ,, Facultas novæ doctrinæ aliquid gignit. *Quod ille confirmans subdit:* Quam novum est ,, dogma, quo statuit Gummarus nos sine gratia Dei habere libertatem exercendi actus ,, supernaturales fidei, spei, & charitatis? *Plus audet lib. 2. pag. 55.* Inter omnes adver- ,, sarios, *inquit*, ne vel unus invenietur, quin fateatur sine gratia proximè vel remotè ,, sufficienti nullam esse libertatem, nullam potestatem ad servanda præcepta superna- ,, turalia. *Imo ut ait pag. 50.* Eligit dogmatizare, nos sine gratia esse liberos ad præcep- ,, torum supernaturalium adimpletionem: hoc est (ut mihi quidem apparet) ne deserat ,, dogma Jansenii, amplectitur dogma Pelagii.,,

Quid hic primum discutiam, ignoro; adeò indigna & imperita sunt omnia. Ecquid enim illud est, quod scripsisse fertur in privatis quibusdam epistolis ille Middelburgensis

Episcopus,

Episcopus, cujus nullæ erant in hoc negotio partes ? Opponitur ergo unus ille omnibus Belgii Episcopis, omnibus Cathedralibus Theologis, inter quos cum præ cæteris cunctabundi fuissent Iprenses, tandem instante Mechlinienſi Archiepiscopo, sub finem Decemb. 1587. misit Iprensis Episcopus suam & Theologorum Ecclesiæ suæ sententiam subscribens Censuræ Lovaniensi. In unam ergo jam sententiam convenerant omnes Episcopi Belgii, omnes Cathedrales Theologi, ut idcircò Mechliniensis ac Cameracensis Metropolitæ, ut ait Imago primi sæculi, Synodum pararent Episcoporum, qui Lessii Hameliique dogmata à duabus facultatibus damnata discuterent, eademque toto proscriberent Belgio. Quanti tunc in Belgio forent Episcopi, quanto fidei zelo succensi nôrunt illi, qui Lindani, Vindevillii, aliorumque gesta legerunt. His tamen omnibus Strienus unus opponitur. Plus valet unius auctoritas ut Lovaniensis doctrina probetur nova, quam tot Episcoporum, tot Doctorum, tot Cathedralium Theologorum ut probetur Orthodoxa ac Augustiniana. Quidni toties rogati, toties provocati vel unum tandem proferunt Religiosum Sacræ Theologiæ Professorem, qui, fervente hâc cum facultate controversiâ, Lessii partes in Belgio secutus sit ? Qui si proferri non possit, ut hactenus non potuit, judicet Lector, quâ æquitate spretis omnibus Episcopis, Doctoribus, Cathedralibus Theologis, ad unum omnibus Religiosis Sacræ Theologiæ in Belgio Professoribus, privata Strieni Epistola tanti fiat, ut propter illam unam tanquam monstrosa subsannari possit Censura Lovaniensis, quam tanti viri uno omnes ore probârunt.

Illud quoque præcipuè notatu dignum est, tanquam novam in Lovaniensi Schola notari doctrinam, quam Doctores & Episcopi tanto in illa tempore versati unanimem fuisse jam pridem Magistrorum Lovaniensium, paucissimis exceptis, luculentè confessi sunt. Confessus est Estius in oratione sua sæpe memorata, Confessi Lovanienses in peroratione suæ justificationis, coram Lindano aliisque Episcopis, qui in hac Universitate educati erant, neque illius erant genii, qui in materia Religionis, quæ tanto tunc zelo agitabatur, passi fuissent cum hæreticorum scandalo mendacia illa imponi Ecclesiæ Dei.

Desierunt suum jactare Stapletonum, Doctorem pariter unicum suæ sententiæ vindicem, ex quo audierunt quo loco Doctor ille, saltem in hac materia, fuerit apud Thomam Lemos, qui seriò monet lib. 4. part. 2. tract. 4. num. 619. *Cavendus est*, inquit Stapletonus, *sicut Sancto Patri Augustino contradicens, & Pelagianis favens. Vt enim evitaret Calvinismum, incidit magnâ ex parte in Pelagianismum nesciens mediam viam inter utrumque tenere.* Nihil his addo, ne illa mihi adscribat ERASMUS PILIUS, quæ referre malo, quam assertione mea firmare.

Sed de his plusquam satis, quæ alibi sæpius fuerunt repetita; at ERASMUM PILIUM magis stringunt, quam ut illorum facilè aggrediatur tractationem, è qua pateret luce meridiana clarius, quibus primum initiis cœperit in Belgio Lessii dogma propagari.

Nunc quod attinet articulum, quem exagitandum suscepit ERASMUS PILIUS, ipse non capio, quâ fronte dogma illud carpatur ut novum, quod superiori sæculo tradiderunt uno consensu Facultas Lovaniensis & Duacensis, quarum judicium præstantissimi illi Episcopi & Theologi, quorum meminimus, unanimi consensu secuti sunt. Sed cum tantopere illos ERASMUS PILIUS exhorreat, proferemus & alios, ut innotescat omnibus, quam falsum sit, quod *inter omnes* ERASMI PILII *adversarios ne vel unus invenietur, quin fateatur sine gratia proximè vel remotè sufficienti, nullam esse libertatem, nullam potestatem ad servanda præcepta supernaturalia.*

Peregrinus est ERASMUS PILIUS in adversariorum suorum doctrina, dum tam liberè assertiones ejusmodi audet proferre.

Consulat Lemos lib. 4. part. 2. num. 145. ac videbit quomodo *qui actualiter habent* anxi-

auxilium sufficiens dicuntur posse salvari per potentiam proximam & formalem, quæ in ipsis est; qui autem nullo modo auxilium habent sufficiens gratiæ, dicuntur posse salvari per potentiam, quæ est in Deo, qui potest eis tribuere auxilium, quo salventur, & per potentiam liberi arbitrii, qua illud auxilium recipere à Deo potest. Cumque dixisset cap. 12. num. 181. *procul-dubio aperta sententia S. Augustini est, quod non omnibus datur supernaturale Dei adjutorium, etiam ad vitanda peccata*, mox ERASMI PILII cavillos refellit addens ibidem: " Quando in hac ,, materia S. P. Augustinus & nos asserimus, hominem sine auxilio gratiæ vitare pecca- ,, tum non posse, non intelligitur ista impotentia esse ex defectu libertatis, ita quod ad ,, id libertatem non habeat (hoc enim nec sentimus, nec sentire possumus) sed sensus ,, est, quod non potest, id est non habet sufficientiam solis suis viribus ad id observan- ,, dum. Aliud enim libertas est, & hanc homo ille habet: aliud sufficientia, & hanc so- ,, lis suis viribus non habet. ,,

Sed repetenda sunt altius singula doctissimi illius viri principia, è quibus patebit, quod si Collega noster Pelagianas Offas deglutierit, jam pridem illas ipsi præcoxerit Scholæ Thomisticæ decus & ornamentum Thomas Lemos.

Ac primò quidem non omnibus pueris usum rationibus attingentibus dari gratiam suffi-. cientem, quâ in Deum (ut tenentur juxta D.Thomam) converti possint, disertissimè docet tom. 4. lib. 4. p. 2. tract. 3.c. 12. n. 168." Deus non tribuit, inquit, omnibus in uni- ,, versum hominibus, nullo dempto, intrinsecum & sufficiens auxilium supernaturale ad ,, implenda præcepta naturalia, quæ supposito peccato impleri non possunt solis naturæ ,, viribus, etiam cum instat adimpletio præcepti. Similiter nec omni homini tribuit auxi- ,, lium, ut peccata possit evitare. Itaque non omni puero venienti ad usum rationis datur ,, tale supernaturale intrinsecum auxilium sufficiens, ut se convertat in bonum rationis, ,, sed quibus datur, misericorditer datur; quibus non datur, in pœnam peccati non da- ,, tur, saltem originalis. *CONCLUSIO ISTA*, inquit, *EST S. P. AUGUSTINI, ET* ,, *S. THOMÆ NON OBSCURA SENTENTIA. SIMILITER ET S. PROSPERI.*

Tum generaliter prosequens ac probans cæteris quoque infidelibus ne quidem semper dari auxilium necessarium ad implenda præcepta naturalia, concludit n. 170. " Manife- ,, stum fit docere S. Augustinum, non omnes infideles accipere à Deo auxilium superna- ,, turale intrinsecum, quo si vellent, possent Deo obedire, ac præcepta naturalia servare. ,, *HÆC EST APERTA S.AUG.SENTENTIA* à cap.6 (*de corr.& grat*) usque ad 11.inclusivè. ,, *Item num.* 174. *IN S. PATRE AUGUSTINO HOC EST SATIS NOTUM*, si littera ,, attendatur, quod infideles omnes non habent adjutorium supernaturale intrinsecum ,, sufficiens, etiam ad Deo obediendum in observatione etiam præceptorum naturalium, ,, sed quod quibus datur, ex misericordia datur; quibus autem negatur, ex justo judicio ,, negatur in pœnam saltem peccati originalis. Et iterum n. 181. *PROCUL DUBIO* ,, *APERTA SENTENTIA S. AUGUSTINI EST*, quod non omnibus datur supernaturale ,, Dei adjutorium, etiam ad vitanda peccata. ,, Cap. 13. eandem doctrinam luculentè probat ex Prospero; numerumque ibidem 105. sic concludit: *idem probaremus facili ratione ex S. Fulgentio atque Hilario, nisi in immensum protraheretur probatio.*

Properat ad D. Thom. cap. 14. è quo statim profert famosissimum locum ex 2.2. q. 2. art. 5. ad 1. ubi sibi movet D. Thomas, quod " nullus tenetur ad id, quod in ,, ejus potestate non est, sed credere aliquid explicitè non est in hominis potestate, quia ,, ad id indiget divino gratiæ auxilio, quod in sua potestate non habet. Ergò credere ,, aliquid explicitè homo non tenetur. ,, Non poterat disertius proponere argumentum, quod nobis etiamnum hodie movet ERASMUS PILIUS. Ad hoc argumentum itaque respondet: " Ad primum dicendum, quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid, exclu-

,, excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia
,, præparante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum ar-
,, ticulos fidei, sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibus-
,, cumque divinitus datur misericorditer datur, quibus autem non datur, ex justitia non
,, datur in pœnam præcedentis peccati, & saltem Originalis peccati, ut August. dicit lib.
,, de corrept. & grat. ,,

Accuratissimè hoc D. Thomæ responsum expendit Lemos. " Ad ostendendum enim,
,, inquit, se loqui non solum de auxilio gratiæ, quod datur immediatè ad credendum,
,, de quo principaliter tractabat, sed etiam de illo, quod immediatè ad credendum non
,, tribuitur, sed quod datur ad implenda naturalia mandata divina, quæ in natura lapsa
,, solis naturæ viribus impleri non possunt, adhibuit non solum aliquid de auxilio super-
,, naturali immediatè ad credendum requisito, verum etiam aliquid apposuit de auxilio
,, supernaturali tributo ad diligendum Deum & proximum, quod est primum Decalogi
,, præceptum, ut sic utrumque simul supernaturale auxilium complecteretur, & illud
,, quod immediate ad credendum datur, & quod immediatè disponit ad credendum, ut-
,, potè tributum ad naturalia mandata servanda. Et hanc generalem negativam doctrinam
,, de utroque auxilio constituit; quod videlicet neutrum omnibus datur, sed quod sive
,, unum, sive aliud quodcumque datur, misericorditer datur; quibus autem non datur,
,, ex justitia non datur, saltem in pœnam peccati originalis, quando actualia alia non
,, essent. Et hanc clariori modo traditam doctrinam, docet expressam esse S. P. Augustini
,, lib. de corr. & grat. cap. 11. & à nobis eodem modo, quo S. Thom. exponit, suprà
,, explicato. Dubitare ergo minus poterit, qui ad utriusque Doctoris sancti verba &
,, contextum voluerit attendere VTRIVSQVE HANC ESSE CONFORMEM DOCTRI-
,, NAM, quod non solum auxilium intrinsecum supernaturale (quod immediatè datur
,, ad credendum) non datur omnibus verum etiam quodcumque aliud supernaturale in-
,, trinsecum auxilium sufficiens ad divina naturalia præcepta servanda omnibus non datur,
,, sed aliquibus juste negatur propter præcedentia peccata, & saltem propter originale.

Non obstante hac doctrina tam aperta docet idem Lemos ibid. cap. 10. n. 155. quod omnes cum fide fateri teneantur, neminem dum est in via, esse qui non possit salvari, & ad Deum converti. Imò tenendum, nullum esse instans, in quo converti ad Deum non possint, etiamsi pro omni instanti auxilium sufficiens non habeant.

Ergo, inquit Pilius, eandem, quam D. Gummarus, Pelagianam offam deglutiit Thomas Lemos. Certè si deglutiit Collega noster, deglutiit & Lemos illi per omnia consentiens, huncque nodum similiter solvens tom. 1. tract. 4. de sensu composito & diviso cap. 1. §. (Joan. etiam 12.) ubi disertissimè scribit quod *quamvis admittatur eos* (quibus dictum est Joannis 12. non poterant credere, quia iterum dixit Isaias &c.) *auxilium sufficiens non habuisse, adhuc concedendum non est, quod non poterant credere, id est, quod potentiam non haberent ad credendum, quia posset Deus eis auxilium suum dare, & illi per suam potentiam possent illud recipere, & hoc sufficit, ut verificetur, quod potentiam haberent ad credendum.*

Imminebant Lemos fulmina, nisi Pelagianismi notam expressè avertisset tom. 4. part. 2. tract. 4. cap. 25. Ubi Tridentinos explicans canones, & præcipuè eos, quos nobis Erasmus Pilius opposuit, sic ait n. 330. " Docet Concilium non habere ex se
,, hominem veram potentiam sine gratia ad justam vitam, & multò minus ad vitam
,, æternam habendam. Quia sine gratia talis vera potentia (proxima) in homine non
,, est, nec potest esse, cum potentia ad actus supernaturales supernaturalis debeat esse,
,, non naturalis, NISI CVM PELAGIO consentire velimus. Solùm ergò est in homine
,, sine

,, gratia capacitas ad habendum dona & auxilia gratiæ, quibus veram obtineat pœnitentiam, quâ possit jam bene vivere & vitam æternam promereri. Unde quod Auctor (*quem ibidem oppugnat*) ait, nulli dubium esse, quod homo spoliatus donis gratuitis gratiæ possit ex se habere illos actus, scilicet justè vivere & vitam æternam promereri in sensu diviso, quomodo à Theologo dici possit non video, quia potius omnibus hoc debet esse certum, quod spoliatus homo omnibus donis gratiæ non potest, nec potentiam habet ex se ad illos supernaturales actus, sed ex se præcisè tantum habet capacitatem, vel quod idem est, potentiam radicalem atque remotam, ut possit elevari per dona gratiæ, & habere per illa potentiam proximam ad similes actus. Quare, negatâ gratiâ elevante, ut negatur in homine spoliato omnibus donis gratiæ, non est in homine ex se potentia ad actus supernaturales, quia illa potentia radicalis solum est in homine ut possit elevari per dona gratiæ, quæ potentia radicalis proinde capacitas est, quia capacitatem habet, ut possit elevari, quæ capacitas non est in arbore, equo, vel lapide.,,

At si illa potentia proxima ad actus supernaturales desideretur in peccatore, quomodo poterit illi imputari v. gr. defectus fidei, vel charitatis, instante præcepto? Solvit hoc dubium ibidem cap. 15. tract. 3. n. 212. "Optimè servant prædicti Doctores (Aug. & Thom.) verè peccatori utrumque imputari, licet non habeat auxilium sufficiens, quo converti possit, quia ex sua culpa ad talem necessitatem & impotentiam se coarctavit, ut pluribus ex illis SS. Doctoribus ostensum est. Cum ergò aliqui illorum discipuli affirmant non posse homini imputari novum peccatum, nisi Deus speciale auxilium gratis tribuat, quid aliud faciunt, si attendere volunt, quam illis sanctis Doctoribus contraria sentire, & rationem justæ imputationis peccatorum, quam illi SS. PP. tradiderunt, insufficientem, imo nullam esse contendere?

Hanc doctrinam de sufficienti omnium auxilio, ut possint imputari peccata, censet Lemos exagitandam præ ista, quæ dicit esse certam legem dandi auxilium supernaturale iis, qui bene usi erunt naturalibus, quia (ut optimè notat) *hac ponit legem dandi gratiam peccare volentibus.*

Tum num. 214. " Concludamus, *inquit*, illud fundamentum prætendentium non justè posse peccatori peccatum imputari, nisi ei detur auxilium gratiæ internæ sufficiens; primò contra doctrinam SS. Aug. & Thomæ procedere: secundò excusationem præbere peccantibus, ut adversus Dei gratiam excusationem prætendant de peccatis suis. Tertiò sub prætextu justo peccati imputationis, peccatóri demeritoriè peccanti gratiam sufficientem debitam ponit. Ac quartò, eandem esse querimoniam, quæ olim ab illis publicata est, quos S. Pater refert & impugnat lib. de cor. & grat. cap. 5. ac 6. cum sequentibus usque ad 11. inclusivè.,,

Res pro Thoma Lemos confecta est, si quemadmodum à Pelagianismo, ita quoque se à Calvinismo purgare studuerit, hanc enim quoque notam ejusdem doctrinæ vindicibus injicit E r a s m u s P i l i u s. Sed miratur Lemos ejusdem tract. cap. 8. num. 127. vel Calvinismum, vel Lutheranismum huic posse opponi doctrinæ. "Satis insulsè, *inquit*, & sine delectu ista inducuntur ad suadendum sententiam illorum hæreticorum esse, non dari omnibus auxilium sufficiens, quia sententia illorum est, non dari auxilium distinctum ab efficaci, imo ab efficaci, quo homo salvatur. Hoc hæretici illi dixerunt. An verò admisso verè sufficienti auxilio ab efficaci distincto, & dato eis, qui nec salvantur, nec de facto efficaciter ad Deum convertuntur (per quod totaliter illis hæreticis contradicitur) sint aliqui paucissimi peccatores ita obcæcati & indurati, ut eis propter præcedentia peccata tale sufficiens denegetur, nulla ex minima parte hæreticorum prædictæ sententiæ favet, quia ut visum est suprà, sunt plures Catholici ex his qui

,, ,, contra

„ contra suprà-dictos hæreticos scripserunt, qui aliquibus dicunt negari auxilium tale „ sufficiens, sicut sunt Joannes Driedo, Ruardus Tapperus, Roffensis & alii. „ Et tamen, teste eodem Lemos suprà relato, *omnes cum fide fateri tenentur*, *neminem dum in via est, esse, qui non possit salvari, & ad Deum converti. Imo tenendum, nullum esse instans, in quo ad Deum converti non possit.* Censuerunt proinde omnes illi cum majoribus nostris, Thomâ Lemos,& Collegâ nostro,eos,qui nullo modo auxilium habent sufficiens gratiæ, rectè dici posse salvari & converti per potentiam quæ est in Deo, qui potest eis tribuere auxilium, quo salventur, & per remotam potentiam liberi arbitrii, quæ illud auxilium recipere à Deo potest.

Hæc expendat Erasmus Pilius, caveatque deinceps tam præcipiti impetu effutire, quod *inter omnes adversarios ne unus quidem invenietur, quin fateatur sine gratia Christi proximè vel remotè sufficienti nullam esse libertatem, nullam potestatem ad servanda præcepta supernaturalia.*

Nos contra contendimus & probavimus, sine gratia Christi proximè vel remotè sufficienti veram dari libertatem, veram potestatem (saltem radicalem & remotam, quæ sufficit dum proxima deëst in pœnam præcedentis peccati) ad servanda præcepta tam supernaturalia, quam illa quoque naturalia, quæ sine gratia supernaturali impleri non possunt.

Contendimus hanc esse veram Augustini doctrinam, quam contrà inimicos gratiæ sustinuit alibi sæpius, sed evidentissime lib. de corrept. & gratia usque ad cap.11. inclusivè. Non dubitamus, quin suum Magistrum secuti sint Prosper, Fulgentius, Doctor Angelicus, imo quidquid illustrius Schola habuit usque ad tempora Molinæ & Lessii, ut mirandum non sit, quod hi eo tempore, quo primum hæc controversia cæpit, tam paucos habuerint sequaces, ut in Belgio (dum hæ quæstiones sedulò excutiebantur) nullam Academiam, nullum Episcopum, nullum Cathedralem Theologum, nullum Religiosum Ordinem, ac nequidem Religiosum ullum Sacræ Theologiæ Professorem vel in hoc dogmate,vel in alio quocumque à Facultatibus Belgicis rejecto conciliare sibi potuerint. Hæc non pro nutu nostro confingimus, sed ipsam imaginem primi sæculi, acta ipsis Patribus Societatis optimè nota proferimus. Pro his interim ab Erasmo Pilio sola dicteria nihilque Theologo dignum referimus. Cum exurgeret in nos, fortè vivos deglutisset nos, nisi tot manifestorum actorum veritas scuto nos circumdedisset.

§. 9.

An Erasmus Pilius *rectè exagitet Censuram Lovaniensem, ejusque justificationem?*

MOre suo pergit Erasmus Pilius acceptas à Patre Philippo de Vos nænias obtrudere, & contra omnem veri speciem, contra Thomistarum consensum unanimem, graviter accusare Censuram Lovaniensem, nunquam solicitus respondere eis, quibus nec ipse nec ejus Collegarum ullus respondere hactenus tentavit.

Quæ imago primi sæculi, Isaacius Habertus aliique sæpè nobis opposuerunt, libenter audivimus, strenuè confutavimus, adeò evidenter, ut nec ipsum Erasmum Pilium ausurum arbitrer, quod Collegæ ejus declinare maluerunt.

Eia, si vir est, calamum arripiat, suppetiasque ferat principali suo, qui argumentorum suorum infirmitatem, Censuræque Lovaniensi accedens undique robur sentiens maluit arenâ cedere, quam hanc controversiam operosius tractare. Refellat ergo Erasmus non dicteriis, sed argumentis Theologo dignis, quæ opposui Patri de Vos Thesis 2.§.1.

& 6. Thesis 3. §. 2. & 3. Addat, si interpositor opem ejus imploret, responsionem ad §. 17. Thesis 6.

Cœpit jam pridem Censura illa à quibusdam Societatis Patribus satis iniquè tractari, quos tamen minus æquos hac in causa esse judices quilibet fatebitur, si directè contra eos emanasse illam expenderit. At si veteres invenit hostes, invenit & vindices, inter quos non parum eminet Joannes à S. Thoma Philippi IV. Confessarius, qui Censuram illam, & Facultatem à qua emanavit, magnopere commendat q. 14. primæ partis disp. 20. art. 6. n. 9. *Doctores Lovanienses*, inquit, *unanimi consensu in Decreto suo de hac re scientiam mediam negarunt. ... quorum judicium gravissimum huic materiæ addit pondus, quia magnam sibi promeruit toto terrarum orbe auctoritatem celeberrima illa Academia, quæ nobis quoque primum Theologiæ lac instillavit.*

Non minus eam commendant Carmelitæ Salmanticenses, qui suam de gratia per se efficaci conclusionem, non sine addito Universitatis Elogio, sic confirmant: *Idem docet gravissima Academia Lovaniensis in scriptis D. Augustini versatissima.* Et rursus tract. 3. de scientia Dei disp. 10. n. 130. agentes de scientia media; *Eandem sententiam*, inquiunt, *aperto marte tuetur Academia Lovaniensis, quæ unanimi consensu constanter negavit & impugnavit scientiam mediam, in quo unico testimonio plures & gravissimi Doctores continentur. Quin imò talis eorum communis consensus satis denotat sententiam denegantem scientiam mediam non esse noviter ab ipsis introductam, sed illam à majoribus accepisse, maximè quia eam ex Augustini doctrina desumunt.*

Frustrà omnia repeterem, quæ aliàs produxi ex Lemos, Alvarez, Gonet, Baronio, Academia Tholosana, Philalethe totque ejus censoribus aliisque pluribus, qui Censuram illam miris laudibus extulerunt, soliciti semper à Molinistarum cavillis eam vindicare, & retundere omnia, quæ etiamnum hodiè Molinistæ urgere non desinunt. Testis sit suprà laudatus Joannes à S. Thoma, qui sibi opponit, quod in Congregationibus de auxiliis (cum pro Thomistarum sententiâ Lovaniensium Doctorum judicium adduceretur) Vastida dixit: *se mirari quomodo in conspectu Sanctitatis suæ adducebantur in hac materia Doctores Lovanienses, cum à S. Sede illis in hac parte fuerit impositum silentium, quia injustè in hac materia accusabant Patres Societatis de quibusdam propositionibus doctrina sacra.* Refert quoque Vastidæ sic responsum fuisse coram Summo Pontifice à M. Fr. Thoma Lemos: *Quod dicitis per hanc Sanctam Sedem fuisse impositum silentium Doctoribus Lovaniensibus in hac materia, quia vos injustè accusabant, non ita procedit; nam Breve Fel. Record. Sixti V. utrique parti & vobis & Lovaniensibus imponit super re hac silentium, donec res ista fuerit per S. Sedem determinata. TUNC DIXIT P. VASTIDA: Vidisti tu breve? CUI F. THOMAS: Vidi & revidi, & solum hoc continet. TUNC VASTIDA: Si nobis non imponeretur aliquid injustè à Lovaniensibus, non id præciperet Sancta hæc Sedes. CUI F. THOMAS: Iustis de causis tunc utrasque partes voluit tacere Pontifex Summus, usquedum res illa à S. Sede determinaretur, & jam nunc tempus est.* Tum concludit Joannes à S. Thoma: *Ita se res habet de Doctoribus Lovaniensibus.* Imo ita se habere tam est evidens, ut mirari satis nequeam, Sixti V. vel Calatini Decretum nobis opponi, ut inde conficiatur Censuram Lovaniensem ejusque justificationem Decretis illis esse proscriptam.

Quid in illis demum est, ex quo hoc confici possit? Quod enim primum urget imago primi sæculi, & ex eâ Erasmus Pilius aliique, nempè assertiones Lessii dici à Nuntio Calatino SANA DOCTRINA ARTICULOS, ex multiplici capite propius expensum corruit; primò, quia in Brevi Sixti V. ad Nuntium Calatinum (quod refert Lemos tom. 1. tract. 6. cap. 1.) non vocantur *sana*, sed *sacra doctrina articuli*, neque quippiam in re dogmatica decernendi potestas illi Nuntio conceditur, sed tantum jubendi, ut inter se dissidentes

dentes ab omni decertatione desisterent, quoad Apostolicâ auctoritate de eorum controversiis ac disceptationibus maturè discernatur. Magnam fidem meretur hic Lemos, qui breve vidit & revidit, maximè cum ex discursu Vastidæ sic & Vastida legisse videatur.

Quanquam si ipse Pontifex ortas dixisset fuisse Lovanii controversias super quibusdam sanæ doctrinæ articulis, causæ tantum nostræ magis fuisse propitius probaretur, cum has controversias excitasse non Lovanienses Theologi, sed Professores Societatis Jesu dicendi sint, dum hi à tritis majorum suorum deviarunt Semitis, in quas ut redire vellent tanto affectu sic supplicarunt Doctores Lovanienses in præfatione suæ Censuræ pag. 18. *Obsecramus vos in Christi visceribus, ut rem hanc totam, seposito paulisper anticipatæ opinionis præjudicio, liberis animis intueri serioque expendere dignemini, ut si fieri queat in tam magno fidei nostræ de gratia Christi ac Dei prædestinatione negotio unum idemque concorditer sapiamus, eo magis quod (ut idem de Massiliensibus queritur Prosper) eadem aliquando nobiscum melioraque senseritis. Neque enim de studiosorum excidit memoria, quænam, Reverendi Patres, Robertus Bellarminus ex eadem Cathedra vestra de his ipsis argumentis nuper & senserit & publicè docuerit vestro nunc dogmati planè adversa atque contraria.* Quod cum ne ipsi quidem Societatis Professores negare possent, evidens erat, Lovaniensium doctrinam adeò Belgis omnibus fuisse communem, ut ante annum 1586. ne ipsi quidem Societatis Patres in dubium eam revocarent.

Si è sacra Prædicatorum familia quispiam hodie Molinismum per fas & nefas in ea tradere vellet, ita quidem ut aliorum ejusdem Ordinis Patrum ac Doctorum graviter quoque notaret sententiam, ecquis ibidem controversias excitasse diceretur, an ille qui receptam illius Ordinis doctrinam invasit, an Ordo ipse qui contra hunc Novaturientem defendere eandem pergit? Neminem futurum arbitror, qui controversiæ originem Novaturienti illi non adscribat. Quæ si ita se habent in particulari Ordine, expendere debebant Societatis Professores, ne Belgicorum motuum eis adscriberetur Origo, dum inveherent dogmata non tantum Theologorum aliorum, sed ipsorum quoque Societatis Jesu Professorum placitis hactenus contraria.

Denique ne illud quidem contendere hodie arbitror illos Professores, sic articulos suos dici *sanæ doctrinæ*, ut oppositi ab eodem Calatino repudientur tanquam à sana doctrina alieni. Neque illud contendere possunt, quin generis humani indignationem incurrant, maximè postquam excussâ doctrinæ illius origine, omnes hodiè intelligunt, quibus fuerit obnoxia periculis sub duobus Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. Sentire proindè eos arbitror, assertiones suas dici sanæ doctrinæ articulos, merè ideo quod Sedis Apostolicæ nullam planè hactenus Censuram subiisse, aut etiamnum mereri censeant.

Quod etsi eis largiremur; imò displicuisse quoque Sedi Apostolicæ fateremur, quod Censuram illam Facultas Theologica Lovaniensis emiserit, nondum conficeretur, eam proscriptam esse tali Decreto, quod futuris tantum providet temporibus, nihil de præteritis statuens.

Exemplo simili res clarius apparebit. *Bannez & ejus Discipuli*, inquit Ripalda, *in publicis disputationibus privatisque sermonibus & scriptis cœperunt notare sententiam illam* (Molinæ) *Pelagianam. Contra nostri, ut notam Pelagianismi sua sententia vitarent, objiciebant oppositæ notam Calvinismi.* Accessit Pontificium Decretum, quo utrique parti vetuit, ne deinceps pars altera alteram censuris gravioribus perstringeret. Fingamus acriores illas censuras antea quoque displicuisse Sedi Apostolicæ, imo eas in futurum vetuisse, quia jam præteritæ displicebant. An inde conficies vel Commentaria Bannezii aut Molinistarum, qui se Bannezio opposuerunt, proscripta, ac deinceps Theologorum manibus excutienda esse?

 Quod

Quod si nullâ veri specie dici possit, paradoxum est, quod de proscriptione Censuræ Lovaniensis tam liberè scribitur ac proclamatur.

Maximè cum ex ipso pateat Decreto, ne quidem illud dirigi contra Doctores Lovanienses; apertè enim pronuntiat Sedis Apostolicæ Legatus, quod partes ipsæ (Theologi nempè Universitatis Lovaniensis Professoresque Societatis Jesu) cohortationes ejus non recusaverint humilesque ac obedientes Suæ Sanctitati Sanctæque Sedi Apostolicæ se præbuerint, adeò ut Decreto ejusmodi opus non fuisset, nisi ut in eodem exprimitur, " aliqui ,, etiam diversorum Ordinum Regulares Clericique sæculares, ac potissimum studiosi de ,, assertionibus, de quibus controversia erat inter dictæ Universitatis Lovaniensis Theo-,, logos, & Sacerdotes Societatis Jesu Sacram Theologiam profitentes, tam pertinaciter ,, pro alterutra parte contendissent, & temeritate quâdam in suis Concionibus, Lectioni-,, bus, Disputationibus scriptisque privatis alterius partis sententiam damnassent.

Cum ergò in ipso Decreto clarissimè exprimatur, ne quidem illud dirigi contra Doctores, sed occasione illorum, quæ per discipulos utriusque partis levius gesta erant, sanciri in posterum, ut omnes à carpendis mutuis sententiis sibi temperent, fallor, si æquus Lector, viso & expenso Decreto illo, non mirabitur, illud esse Decretum, quod toties jactatur, ac Censuræ Lovaniensi opponitur.

§. 10.

Rectenè accusetur Censura Lovaniensis tanquam Amica Calvinistis?

SIc eam accusat ERASMUS PILIUS lib. 2. pag. 77. Calvinistamque Censuræ Lovaniensis Encomiasten profert pag. 72. Melchiorem Leydeckerum, qui illam plurimum laudavit 26. Junii 1680. Ad hæc ERASMUS: *Non est pulchra laus, quæ ex Calviniano fluit calamo; signum est, quandam esse Symphoniam inter Calvini & Censura illius doctrinam. Poterat vel ex ipsa laude Calviniana apud Orthodoxos aliquid decedere auctoritatis Censuræ isti Lovaniensi.*

Nescio an idem de Scriptura Sacra, S. Augustino, veteribusque illis Ecclesiæ Patribus, quos præ cæteris commendant Calvinistæ, idem dicere non erubesceret. Hoc scio, pari ratione dici posse: *Non est pulchra laus, quæ ex Calviniano fluit calamo; signum est quandam esse symphoniam inter Calvini & scriptura vel Augustini doctrinam. Poterat vel ex ipsa laude Calviniana apud Orthodoxos aliquid decedere auctoritatis Scripturæ Sacræ vel Augustino.* Fortè ideò Scripturæ & Augustini studium tantopere exolevit apud aliquos, qui studii ejusmodi exaggerantes pericula malunt illius augere fastidium quam tollere.

Benedictus sit Deus, qui hanc à nobis avertit insaniam, ut Calvini libros ab Ecclesia justissimè proscriptos nunquam commentariis ullis illustrare aut vindicare, aut quocumque modo ad confirmandam doctrinam nostram allegare tantùm cogitaverimus. Utinam tam essent immaculati Molinistæ circa Faustum, Cassianum, totque alios pro sua doctrina expresse non semel allegatos, imò commentariis illustratos, quemadmodum sæpius demonstratum est. Sed ad hæc altè silent, maluntque consectaria quædam è dogmatibus nostris pro nutu suo elicere, & Calviniana nobis dogmata per summam injuriam affingere, quàm inverecunda à Collegis suis in Augustinum Augustinique discipulos jactata sæpius scommata diluere, eosdemque Collegas de nimiâ in auctores ab Ecclesia damnatos purgare benevolentiâ.

Saltem si inde conflandam nobis purârat invidiam, quod Censuram Lovaniensem Leydekerus laudasset, quomodo non timuit, ne fronti ejus illiderem, quod objeci interpolitori in fine §. 16? Majusne crimen est à Leydeckero, quam ab Arminio laudari? Atqui

tamen

tamen Arminius, ejusque asseclæ Perchinsius, Arnoldus Vossius, Grotius Molinam laudant, Pennotum noctu diuque legunt, Suarem sibi in Magistrum & Patronum asciscunt. Ergo si ex unius Leydeckeri laude tantum debeat auctoritatis apud Orthodoxos nostris decedere, detrahendum plus erit aliquid Molinæ, Pennoto, & Suarez, qui à tam multis hæreticis laudantur.

Nolim his diutius immorari anhelans indagare Symphoniam illam quam esse inter Calvini & Censuræ Lovaniensis doctrinam jactat Erasmus Pilius.

Prima illa symphonia est in materia de prædestinatione; cum enim Majores nostri prædestinationem ad gloriam prætenderent juxta Augustinum esse omnino gratuitam, non erubuerunt Societatis Professores apertè scribere in præfatione suæ Apologiæ: *Doctrinam illam adeò B. Augustini non esse, ut Calvini sit potius, qui falsò eam Augustino imponat.*

Quo mereretur stylo configi tam impudens assertio? Sed ad repellendam tantam injuriam hic exposuisse sufficiat Calvinianam de prædestinatione hæresim, quæ est, *ita mero Dei beneplacito præparatum regnum, ut non sit ex meritis comparandum.* Hoccine Majores nostri docuerunt? Imo vero pag. *93.* num. *65.* justif. *Id nos non dicimus*, inquiunt, *& sequi inde negamus. Ita enim prædestinatam asserimus gratuitâ Dei electione gloriam, ut tamen nisi ex meritis assequi non liceat, quæ tamen ipsa etiam homini sunt præparata, ut ad gloriæ finem per ea perveniatur. Siquidem verò utrumque dicitur, & præparari gloriam propter merita, & merita propter gloriam. Illud quidem, ut significetur gloriæ causa meritoria, istud verò ut indicetur meritorum causa finalis. Quare viderint, qui in diversa sententia sunt, utri cum Calvino potius sentiant, ejusque adjuvent causam; illine qui ex gratuita Dei ad vitam electione tolli cum eo merita putant, an qui sequi hoc indè negant.*

Lutheri quoque ac Calvini, qui Lutherum aliquando secutus est, hæresim in materia de libertate damnant p. 180. & p. 181. n. 125. "Est verissimum, inquiunt, gratiæ excitanti hominem liberè assentiri, seu acquiescere, quando per eam præparatus liberè credit ac pœnitentiam agit, neque nihil agere inspirationem illam recipiendo, quippè qui & illam abjicere possit non credendo....... Agit ergo recipiendo mens hominis & agit liberè, quia sic credit, ut per flexibilem in oppositum arbitrii libertatem possit non credere.,, Ne verò foret obscurum, contra quam hæresim illa dirigerent, subscribunt Tridentino damnanti eos, qui asseruerant, " gratiam afferre credendi beneque vivendi necessitatem, nec posse eum, qui credit, fidem suam abjicere. Item qui asseruerant, liberum arbitrium, velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque se passivè habere.,,

Et iterum pap. 210. " Hæresis in eo damnanda est, quod ita gratiæ voluntatis tribuat determinationem, ut eam neget seipsam determinare, tanquam quæ merè passivè se habeat, aut ex gratiæ determinatione necessarium subeat motum, liberâ electione sublatâ.,,

Ne ipse quidem Molina negare ausit hic apertissimè reprobari Hæresim Calvini, sive eam quam primò tenuit Luthero per omnia consentiens, sive quam posteà, temperato paulisper Lutheri errore, ad declinandum generis humani odium visus est elegisse.

Detestantur quoque perniciosissimum Calvini errorem, quo Deum peccati auctorem impudentissimè statuit. *Vt Christum Iudæi occiderent*, inquiunt p. 129. n. 84. *in eumque odio seu malignitate sævirent permisit tantum (Deus) non autem (in quo Calvini est error) etiam decrevit.* Delirasse ibidem censent Calvinum, dum dixit ad ipsam malitiam fuisse incitatam à Deo Judæorum voluntatem.

Si aliquam hic symphoniam audit Erasmus Pilius, magis eam credo audientis vitio, quam concinentium vocibus adscribendam esse; nisi forte inter veritatem, & errorem,

rorem, inter fidem & hæresim, inter Dei sapientiam, & humana deliria reperiri possit symphonia.

Destruit Calvinus libertatem & merita, destruit ipsa peccata, dum illorum auctorem esse Deum blasphemare non veretur. Exhorret ad has blasphemias unâ voce Schola Lovaniensis, exhorrent cum ea omnes Belgii Episcopi, omnes Cathedrales Theologi, tot etiamnum ubique terrarum præstantissimi professores sive sæculares sive Regulares qui hanc Lovaniensium Theologorum operam laudant & commendant ut suprà audivimus. An ergo & omnes illi Calvino concinunt?

An ipsi Societatis Patres, qui eandem nobiscum secuti sunt usque ad annum 1586. (quo primum huic doctrinæ valedixerunt) Calvino concinuerunt? Malè igitur canit Ecclesia, quod *constans fuerit omnium sensus etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero ejusdemque temporis hæreticis Ignatium & institutam ab eo societatem objecisse.* Vix crediderim, quod hujus elogii memoriam nobis refricandam putasset ERASMUS, si sensisset Calvinismo novum robur accedere, dum illi concineret illa ipsa societas, quam commendat, & illo quidem tempore, quod præcipuè illud elogium spectat.

Si enim doctrina de prædestinatione gratuita ad gloriam Calviniana est, & ob hanc præcipuè sit inter Lovanienses & Calvinum Symphonia, concinuit Calvino S. P. Ignatius, qui filiis suis Thomam à Kempis tantopere commendavit; concinuerunt Theologiæ Professores, qui circa ipsa S. Ignatii tempora Romæ eam publicè tradiderunt in Thesibus, quas oportuit nuper edere integras, ne fortè verba paucula à locis suis avulsa quererentur nonnulli in alienos detorqueri sensus. Relegendæ sunt tantum Theses illæ, ut appareat frivolam esse nuperam cujusdam expositionem, cui de S. Salesio respondebo, cum suppleverit defectum sui principalis eandem mihi litem moventis, sed hactenus differentis respondere ad replicam Thesis meæ 2. 4. 5.

Ex his concludo, imperitè admodum, ne dicam malignè confingi hanc inter Lovanienses & Calvinistas Symphoniam, quam recantare ERASMUS PILIUS tenetur justissimè, nisi idem velit subire judicium, cui obnoxii jam pridem fuerunt ejus Collegæ, qui cum Thomistarum doctrinam pari censurâ notassent, ne doctrinæ quidem suæ vindices potuerunt aut possunt hodiè habere sequaces.

Cæterum si Calvinistæ quidam hodiè suprà memoratos Calvini errores pariter nobiscum aversentur & exhorreant, gratulemur ipsis, gratulemur S. Matri Ecclesiæ, quod à tam nefariis recedentes dogmatibus viciniora saluti sentire incipiant.

Testatur ipse Molina, quod " Philippus Melanchton secutus primum Lutheri errorem
„ asseverarit, omnia opera nostra, sive sint indifferentia, ut comedere & bibere, sive
„ bona, ut vocatio ac conversio Pauli, sive mala, ut adulterium Davidis, esse opera
„ propria Dei, qui ea omnia non permissivè, sed potenter efficit in nobis, ita ut non mi-
„ nus proprium opus Dei sit proditio Judæ, quam vocatio Pauli. Posteà verò turpitu-
„ dinem sui erroris erubescens intuensque innumera, quæ ex eo sequebantur, absurda,
„ atque Catholicorum tractatibus, potissimum Joannis Cochlæi de libero arbitrio, con-
„ victus suum Lutherique rejecit errorem, affirmans libertatem arbitrii, Deumque non
„ esse causam peccati, sed potius ipsum liberum hominis arbitrium. „

Quod Philippo Melanchthoni contigit respectu Lutheri in articulis jam relatis, contigit Leydeckero in aliis pluribus respectu Calvini, si Censuram Lovaniensem Calvino tam diametraliter in pluribus oppositam tantopere commendârit. Exhorruit Calvini hæreses, sprevit errores, risit deliria, quæ ex justificatione Lovaniensi produximus. Si ergò immeritò invidia conflaretur Cochlæo, quod inspectis ejus libris Philippus Melanchton pristinum

ftinum correxit errorem, possumus & nos justissimè indignari, si quis majoribus nostris putet insultandum, quia eos Leydeckerus aliàs Calvino affectus, maluerit in hac materia sequi quam Calvinum suum à Majoribus nostris totque aliis Catholicis (qui censuram eorum miris laudibus extulerunt) unâ voce sensuque damnatum.

Eo justior nostra hæc erit querela, quo certius hodiè constat, Calvinistas plerosque alienissimos esse à plerisque Calvini sui dogmatibus, ac præcipuè in materia de prædestinatione ac reprobatione, in qua eos hodiè vel Thomistas vel Bellarminum sequi, testantur DD. Walemburgici. Exhorreat ergo Erasmus Pilius Bellarminum suum, si ex ratione suprà adducta censuram Majorum nostrorum velit Orthodoxis omnibus esse horribilem.

§. II.

An censuram Lovaniensem expugnet responsum datum Romæ Deputatis Facultatis Theologicæ Lovaniensis?

HIc exultat, hic triumphat Erasmus Pilius Romanis munitus epistolis, quibus cerrior redditus est P. De Vos, Lovanienses Deputatos, dum peterent ut liber continens Censuram Lovaniensem subiret examen & approbationem S. Officii, responsum retulisse: *IN SANCTO OFFICIO EXTARE DECRETVM contrà editionem vel publicationem dicti libri.*

Quam hoc sit fabulosum, & ab omni veritatis specie alienum, patet ex acta facta ab Eximio D. van Vianen coram Notario publico, quam hic insero.

"Anno à nativitate Domini 1688. mensis Maii die 10. comparuit coram me Notario ac „ testibus infra nominatis Ex. D. ac Mag. nost. Franciscus van Vianen S.T.D. „ ac Prof. Regius, qui dixit, exhibitum sibi fuisse libellum quendam, cui titulus: Gummari „ Huygens S. T. D. Lovanii dogma de libertate sine gratia &c. Auctore Erasmo „ Pilio, in quo dicitur inter alia pag. 75. *Dum Lovanienses Deputati peterent, ut liber „ continens Censuram Lovaniensem subiret examen & approbationem S. Officii, responsum eos „ retulisse: IN SANCTO OFFICIO EXTARE DECRETVM CONTRA EDITIONEM VEL „ PVBLICATIONEM DICTI LIBRI.* Declarat autem, profitetur, ac sustinet, hoc sibi, „ qui è Deputatis illis fuit, numquam ab ullo fuisse responsum, nec unquam intellexisse „ quod responsum tale aut affine Collegarum ullus acceperit, paratus coram quocumque „ legitimo Judice hujus declarationis suæ fidem facere, omni meliori modo & formâ, „ quam Judex expedire censuerit. Actum Lovanii anno, mense, & die quibus suprà, „ præsentibus *D. Martino Lemmens* & *D. Sebastiano de la Derriere* S. T. Studiosis ut testibus „ signatum erat: *Franciscus van Vianen.* Infra habebatur: & me Notario, quod attestor, „ *Ægidius Deniquè* Notarius Publicus.

Ne quidem erat hâc Actâ opus, ut hujus fabulæ falsitas manifesta patesceret, quam luce meridiana clariùs rerum in hac Deputatione Gestarum exordium, progressus & exitus demonstrant. Harum brevem ac succinctam accipe seriem.

Cum non cessarent Facultatis Theologicæ Lovaniensis æmuli quaquaversum eam gravissimè de hæresi paradoxisque accusare dogmatibus, & Vaticana fulmina perpetuò comminari, censuit eadem Facultas supplicandum SS. D. N. Innocentio Papæ XI. ad Petri Cathedram, toto orbe acclamante, recenter evecto, ut sibi liceret quosdam Romam mittere Deputatos, qui doctrinam suam tantopere à multis exagitatam Sanctitati Suæ exponerent, ejusdemque judicium humillimè præstolarentur.

Annuit SS. Dominus. Annuit & Rex Catholicus, cui similiter fuerat supplicatum, litterisque suis commendatitiis dignatus est electos à Facultate Deputatos, nimirum Exim. DD. Franciscum van Vianen, Christianum Lupum, Martinum Steyaert, qui anno 1677. die 27. Maii Romam advenerunt, paucisque post

post diebus, porrectis Suæ Sanctitati litteris Suæ Majestatis, item Archiepiscopi Mechliniensis in cujus territorio est sita Academia Lovaniensis, ac denique ipsius Facultatis Theologicæ Lovaniensis, exposuerunt deputationis suæ causam, ac Facultatis ejusdem piissimam voluntatem. Accesserunt deinde commendatitiæ Illustrissimorum Brabantiæ Ordinum litteræ.

Sub initium illis injunctum est, ut à materia morali ordirentur. Obsecuti sunt Deputati, exhibueruntque morales articulos, quos propugnabant (aliis tamen Theologis reluctantibus) cum illis, quos præ cæteris oppugnandos censebant. Deinde protulerunt Auctores articulorum, quos oppugnabant. Nec defuerunt articulorum à Lovaniensibus accusatorum vindices, qui non tantum Auctores, sed & plures conati sunt proferre rationes, quibus illorum censuram avertere satagebant, ut patet ex libro, cui titulus, *Specimen Moralis &c.*

Quibus non obstantibus, sexaginta quinque ex illis damnati sunt, & triginta tres parem fortunam, ut fertur, subierunt licet Decreto non sint inserti.

Die 2. Martii 1679. Decreta fuit promulgatio constitutionis SS. Domini in materia morali, quæ incipit, *SS. Dominus.*

Die 8. ejusdem mensis constitutio affixa fuit locis solitis. Die 15. actæ sunt gratiæ pro Decreto in materia morali, in quo nullus Moralis Lovaniensis articulus (quanquam exhibiti fuerint præcipui omnes, quos vel tunc vel étiamnum hodie æmuli nostri tantoperè exagitant) minimam notam subiit.

Tum quoque eidem Sanctitati suæ expositum fuit, superesse difficultatem aliam, scilicet in materia de prædestinatione & gratia, supplicâruntque Deputati, ut examinaretur Censura Lovaniensis cum sua justificatione, illique gemella Censura Duacensis, quibus veram ac genuinam scholæ suæ doctrinam à Majoribus acceptam contineri professi sunt ex unanimi Facultatis consensu super iis renovato anno 13. hujus sæculi die 30. mensis Julii, & alias sæpius.

Libellum supplicem, quo hæc petebant, inserui Thes. 1. hist. §. 1. quem propriis manibus porrexit SS. Domino Exim. D. STEYAERT hujus hodiè Universitatis Rector Magnificus.

Paucis post diebus rerum hactenus gestarum prosperum ordinem & exitum nuntiavit Exim. P. LUPUS Illustrissimo Domino Archi-præsidi, cui 25. Martii hæc Româ scripsit.

" Nuperrimè ad Sanctitatis Suæ pedes provoluti sumus, ut, quamvis condignas gratias „ agere non possemus, multò minus referre, ostenderemus nos habere quam maximas. „

" Sua Sanctitas suam ad pacem & recti Decreti usum exhortationem exorsa dixit, sibi „ visum non tantum expediens, sed & necessarium adversus noxias illas, quæ per Ec- „ clesiam gliscunt opiniones, Decretum. „

" Sed bono jure mirabitur J. V. G. cum aliis multis, quod nulla in Decreto fiat mentio „ de propositionibus concernentibus materiam de gratia, cum tamen super iis acres sint „ in Belgio dissensiones. „

" At quam citò huc advenimus, nobis injunctum fuit, ut primò de moralibus agere- „ mus. Et propterea demum, illis decisis, exhibuimus suæ Sanctitati Censuram antiquam „ Facultatis nostræ & justificationem illius super dicta materia ab annis 90. conscriptas „ unà cum ea, quæ tunc juncta & conformis fuit, Censura Facultatis Duacensis, & de- „ claravimus Facultatem nostram Theologicam modernam isti doctrinæ inhærere, cum „ omni tamen submissione, ut si quid illius *SANCTITATEM SUAM* offendat, corrigere „ parati simus. Nunc suæ Sanctitatis judicium desuper præstolamur. Forsitan nihil decer- „ nendo, decernet quod in ea, quamdiu Sedi Apostolicæ videbitur, tutò pergere pos- „ simus sub moderatione, quam adjecit Sixtus V. ut neutra pars contendentium alteri „ censuram hæreseos injurat. Saltem definitivam sententiam ob materiæ sublimitatem &

arduita-

„ arduitatem non expectamus, tametsi ea (ut cum Majoribus nostris loquar) optatissima „ esset. Hæc sunt, quæ post promulgatum Suæ Sanctitatis Decretum hic acta sunt, quorum notitiam J. V. G. intimare officii mei esse duxi. „

Circa idem tempus, quo J. D. Archi-præsidi hæc nuntiabat Exim. P. Lupus, scripserunt quoque Deputati ad Facultatem Sacram Litteras, de quibus ita habent acta Facultatis Sacræ 17. Aprilis 1679.

„ Congregatio sub juramento ratione litterarum Româ à Deputatis nostris, in quibus „ petebant submitti duo exemplaria Censuræ, & Justificationis Facultatis; item mitti „ declarationem, per quam tota Facultas declararet, quod libello isto, nempè Censura „ & Justificatione, repræsentatam velit S. Sedi doctrinam suam de Auxiliis. Et resolutum, „ ut Facultas desuper iterum conveniret die 19. Interea possent Eximii Domini revidere „ doctrinam dicti libelli.

„ 19. Congregatio sub juramento ob eundem articulum de quo primo loco ad diem „ 17. & resolutum mittenda duo exemplaria Censuræ, prout petebantur. Item mittendam declarationem expetitam, quæ in Collegio Atrebatensi, omnibus præsentibus „ (excepto Exim. D. Laurent infirmo, cui depost lecta, & ab eo probata) concepta, „ unanimiter approbata fuit, & est tenoris sequentis:

NOTVM SIT OMNIBVS HAS VISVRIS, quod Facultas Theologica Lovaniensis, sub juramento 19. Aprilis anni 1679. in Collegio Atrebatensi legitimè congregata, post maturam deliberationem, de unanimi Magistrorum Regentium consensu, declaraverit & declaret, doctrinam Majorum suorum de prædestinatione hominis lapsi, & auxiliis ac gratia Christi in libello cui titulus: CENSVRA FACVLTATIS S. THEOLOGIÆ LOVANIENSIS ET DVACENSIS, & altero juncto, cui titulus: IVSTIFICATIO SEV DEFENSIO CENSVRÆ FACVLTATIS S. THEOLOGIÆ ACADEMIÆ LOVANIENSIS contentam, illam ipsam esse, quam tenuit & hactenus tenet, quamque S. Sedi per Deputatos suos repræsentatam desiderat.

Declarat insuper eadem Facultas, se præfatam doctrinam Apostolicæ Sedi, tamquam Ecclesiæ totius Magistræ, prout par est, suique Majores fecerunt, totâ devotione submittere, profitens, quod quidquid desuper decernendum præscribendumque censuerit, ejus vocem, non secus atque à B. Petri Cathedra profectam obedienter reverenterque suscepturа sit & observatura. In quorum fidem hoc præsens instrumentum expediri, sigillo suo muniri, & Decani sui, ac etiam Bedelli manu subscribi curavit. Datum Lovanii die, mense, anno quibus suprà.

Et missa est prædicta declaratio Romam.

Jam tempus aderat, quo, quæ toties erant comminati, Vaticana fulmina præcipuè sollicitare debebant Facultatis Sacræ Æmuli. At fervor ille, quo coram imperita plebecula vagis clamoribus hactenus Facultatem Lovaniensem impotentissimè accusârant, plurimum refrixerat, cum accusationum ejusmodi coram Christi Vicario reddenda erat ratio, stantibus ibidem Deputatis objectas sibi Collegisque suis calumnias diluere paratis.

Experti quoque jam erant toto biennio, quam irrito conatu vel unius Lovaniensis articuli censuram sollicitassent, sentiebantque suam apud pios omnes periclitari fidem: dum spectaret orbis terrarum, coram Christi in terris Vicario (illo, inquam, judice, quem Facultati Sacræ tam infestum horribilemque ubique prædicabant) nullâ censura illam inuri doctrinam, quam ubique tam inverecundè lacerârant.

Cum ergo nihil produceretur, quod Congregationis S. Officii judicium posset justè remorari, elapso penè trimestri ab oblatione ultimi libelli, de quo supra, intimatum est duobus Deputatis (jam enim tertium in Belgium evocârant prægnantia negotia) intimatum est, inquam, Exim. DD. *Francisco van Vianen* & *Christiano Lupo*: *Doctrinam libelli esse ab omni nota liberam, posseque doceri sine offensa Sedis Apostolicæ.* Moxque subjunxit Ex. P. Lupus: *Libellus noster dicere poterit:* Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Quod & Illust. D. Assessor probavit.

Nemo hic cavilletur verbis nostris insidians, nobisque imponens, quod aliud Romæ dictum factumve fuisse hac in causa prætendamus, aut prætenderit unquam ullus vel Deputatorum, vel aliorum quorumcumque, qui Româ Lovaniensibus de hac re scripserunt.

Neminem futurum arbitror tam iniquum, ut hanc rem iisdem planè verbis ab omnibus exprimi velit, si modò constet nihil eos quoad sensum discrepare. Et ne quidem Assessor iisdem verbis resolutionem S. Congregationis semper expressit; neque enim ille tantum semel verba habuit cum Deputatis Lovaniensibus de favorabili judicio super Censuris & justificatione, sed sæpius, nimirum quotiescumque dicti Deputati instabant (institerunt autem sæpius) ut declarationis sibi datæ haberent testimonium scriptum.

Si alii dixerint *ab omni nota liberam*, alii *inoffenso pede posse decurri*, alii *nullam iniquitatem continere* &c. rem eandem variis tantum vocabulis expresserunt.

At, inquiunt Erasmi Pilii socii, sanam quoque esse libelli doctrinam nonnulli addiderunt.

Ita est, miror que illos, qui hoc nobis opponunt, tam parum callere significationem vocis, *sana doctrina*, quam sanè magis illis perspectam esse deceret.

Tanto jam tempore jactant, Lessii Hamelijque assertiones 31. declaratas fuisse à Sixto V. *sana doctrina articulos*. Testium nostrorum videbunt concordiam, si pauculas has voces nobis exposuerint. Quæro itaque ab iis, quo sensu hactenus illas voces acceperint? Ridebunt Eruditi omnes, si prætendant aliud, quam assertiones illas declaratas fuisse liberas ab omni nota, doceri posse sine offensa Sedis Apostolicæ, posse inoffenso pede decurri. Ridiculi proinde sunt, qui propter ejusmodi voces tentârunt allegatos hac in causa testes inter se committere.

Declaramus proinde & apertè profitemur (quibuscumque demum verbis expresserint nonnulli resolutionem Congregationis S. Officii ab ejusdem Assessore Deputatis relatam) nos unice prætendere jam factum esse, quod in litteris ad Archi-præsidem augurabatur futurum P. M. Lupus; nempe quòd *in doctrina Censura Lovaniensis, justificationis ejusdem, & doctrina Censura Duacensis, quamdiu Sedi Apostolica videbitur, tutò pergere possimus sub moderatione, quam adjecit Sixtus V. ut neutra pars contendentium alteri censuram hæreseos, aut aliam inurat.*

Hæc Declaratio Congregationis S. Officii intimata est Deputatis nostris die Sabbati post octavam Venerabilis Sacramenti, qui illo anno 1679. incidit in 10. Junii, & illo ipso die Decano Facultatis sacræ scripserunt Deputati communem epistolam, quâ tam gratum nuntium ei significarent.

Sed omne superavit gaudium Sanctitatis suæ Breve 17. ejusdem mensis (id est septem tantum diebus post absolutum Censuræ examen) scriptum ad Facultatem Sacram, ex quo certius intelligimus SS. PP. benevolum in filiam suam affectum, excussis jam omnibus articulis doctrinæ Lovaniensis tam moralis quam dogmaticæ. Estq; breve illud tenoris sequentis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecti Filii Salutem et Apostolicam Benedictionem. Excepimus perlibenter devotas animi grati significationes, et ea quæ nuper ad sanam doctrinam tuendam, & pacem Ecclesiæ stabiliendam pro pastoralis nostri officii debito decrevimus. Vehementer vos hortamur, ut in eundem scopum, ad quod sponte vestrâ paratos esse & datis ad nos litteris professi fuistis, & nos numquam dubitavimus, zelum ac studia vestra dirigere velitis, sicuti veteri istius insignis universitatis pietate institutoque dignum est. Deputatis interim vestris benevolas, sicut hucusque fecimus, aures animumque prabebimus in omnibus, quæ ad vos rerumque vestrarum rationes pertinere intellexerimus, vobisque, dilecti filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 17. Iunii 1679. Pontificatûs Nostri anno tertio. Superscriptio erat: *Dilectis filiis Decano & Facultati Theologicæ Lovanien.*

Cum eodem ferè tempore reddita fuissent hoc Breve SS. Domini, & litteræ Deputatorum, quibus nunciabatur responsum Congregationis S. Officii, censuit Facultas Sacra utrumque intimandum esse Illustrissimo D. Internuntio, quod & præstitit scriptis ad eum litteris die 14. Julii tenoris sequentis:

ILLUSTRISSIME DOMINE

Toti exultavimus heri ad inexspectatum conspectum alterius Brevis Apostolici, quo Sanctissimus Dominus, verè amantissimus Pater, dignatus est Facultatem nostram. Officii nostri censuimus, ILLUSTRISSIMAM G. V. primum Suæ Sanctitatis in Belgio Ministrum, nostræque Facultatis ac Deputatorum nostrorum fautorem & Patronum, quantocyus per transmissionem hujus exemplaris tanti gaudii nostri participem facere. Det Deus, ut istud supremi Pontificis judicium dissipet tandem aut compescat multorum linguas malè nos incusantes. Speramus fore, ut talibus testimoniis sensim pudefiant & obmutescant. Maximè cum etiam liber Majorum nostrorum in materia de gratia & prædestinatione, cui titulus: CENSURÆ FACULTATUM S. THEOLOGIÆ LOVANIENSIS & DUACENSIS ad preces Deputatorum nostrorum auctoritate Suæ Sanctitatis jam sit examinatus, nec inventa in eo iniquitas, atque hoc ipsum registratum sit in actis S. Congregationis. Pergo, ILLUSTRISSIME DOMINE, nos intueri, ut aliquando liberi ab importunis calumniis fructuosius laboremus in Ecclesia Dei juxta sanctam intentionem SS. DOMINI, & vestram, cujus sumus &c.

Die 20. Julii scriptæ sunt à sacra Facultate litteræ causam eandem concernentes Eminentissimo Cardinali Cibo, quarum tenor est hic:

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

"Sanctissimi Patris oraculum adversus 65. Propositiones Ecclesiam nostram Belgicam, imo totam mirè instruxit, quæ hoc ipsum nobiscum, post primam sedem, charitati vestræ & vigilantissimo zelo acceptum refert, totidem titulis obstrictissima. Scit enim (& nos speciatim, referente uno Deputatorum nostrorum jam reduce, latius didicimus) quidquid Sacra Congregatio strenuè & generosè perficit, hoc aurigante sapientissima industria vestra esse directum, quidquid sua Sanctitas examinandum curavit, examinatumque decrevit, hoc collaborante zelo vestro inchoatum, promotum, completum. Suscepimus SS. Decretum magna animi exultatione, sed tamen modestâ, ne cui videremur insultare. Mutantur nunc in melius multorum judicia & praxes, mutatur Ecclesiæ Belgicæ facies, fructumque accipit uberrimum: pro quo rependat Deus Eminentiæ vestræ mercedem eminentissimam. Gratiarum actiones hoc voto potiores non habemus, nec requiret Eminentia vestra, quanquam nec dubitemus insuper adscribere vigilantissimæ curæ vestræ *factum feliciter examen libri continentis Majorum nostrorum doctrinam de gratia, cui hactenus insistimus.* Hæc est via pacis, ut tandem evanescant quorumdam obtrectationes, quæ nunc ab ipsa Sancta Sede deprehenduntur non fundatæ. Eminentissime Domine, suscipe qualescumque gratiarum actiones, sed verè ex intimis animi medullis effusas cum Sacræ Purpuræ submississima veneratione: & si quid deinceps querelarum adversum nos ad aures suæ Sanctitatis vel Eminentissimæ gratiæ vestræ perveniat; oramus dignetur nos verbulo, & speramus, nos ita exhibere, ut certo constet, quod verissimè simus SS. Patris D. N. Filii obedientissimi, &

Eminentissime Domine

Eminentiæ vestræ

Humillimi & observantissimi Clientes & famuli

Decanus & Facultas Theologica Lovaniensis

Scripta insuper sunt alia littera ad Eminentissimos Cardinales, qui præfuerant examini ejusmodi libri in hunc modum.

" EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI
" Opportunissimum illud suæ Sanctitatis atque optatissimum decretum, quo 65. " Propositiones proscriptæ sunt, latere non sinit egregiam vestram operam atque " in iis dijudicandis labores indefessos. Videt nobiscum orbis Christianus vestrum pro " sana doctrina zelum & constantiam; quæ quantum emineant in Eminentiis vestris specialius adhuc didicimus ex uno Deputatorum nostrorum jam reduce. Fructus uberes " jam nunc sentit Ecclesia, speque alacri præsentit longe uberiores. Habetis eam meritò " vobis obstrictam habebitisque; sed præsertim in illa Facultatem nostram. Quas rependamus, pares gratias non invenimus: verum, quod Eminentiis vestris maximè cordi est, " conabimur pro virili tam sanctæ intentioni vestræ respondere. Oraculum illud tanquam " cœlo missum cum veneratione & modestia suscepimus, aliisque authores sumus indies, " ut eadem animi demissione susceptum constante obedientia teneant. Accessit cumulo " beneficiorum, quod Eminentiæ vestræ non detrectârint accurato examine discutere librum illum in quo *Majores nostri superiori sæculo cum Duacena Facultate Theologica uniformiter suam de gratia doctrinam clarè expresserunt, qua etiamnum nostra est*: " nihil enim nos novi procudere publicè profitemur. Verendum quidem ne forte sint, " qui diversa nobis affingendo, fictaque speciosè deferendo, pacem, quam speramus, perturbare machinentur, sed bene confidere jubet summa illa prudentia Eminentiarum vestrarum nobis compertissima; quæ magis audiet publicas nostras declarationes, quam " clancularias istas delationes. Quales si quando in Urbem adveniant, obnixissime rogamus moneri, promittentes ingenue exponere quod res est; & si (quod absit) minus rectum quid deprehendatur, mutare animus est illorum, qui post sacrarum purpurarum " vestrarum cum omni submissione venerationem, & humillimas iteratarum gratiarum " actiones, precamur omnipotentem ut Eminentias vestras Ecclesiæ suæ bono diu conservet sospitetque. "

Circà hoc idem tempus, accepto ad priores suas Illustrissimi Domini Archi-præsidis responso, perrexit P. M. LUPUS, scriptis idibus Julii litteris rerum Romæ interea gestarum seriem eidem enarrare his verbis: " Sanctissimus Dominus Theologicam Facultatem " non ita pridem honoravit novo Apostolico Brevi; confido ipsum innotuisse. Præcipua " contra Facultatem accusatio erat circà materiam de divinæ gratiæ Decretis atque auxiliis. Doctrinam nostram adversarii ubique declamabant fætere ex Michaële Baio, & " Cornelio Jansenio. Porro avitam Facultatis de his doctrinam continet libellus alio sæculo editus, cui titulus: CENSURA LOVANIENSIS EJUSQUE JUSTIFICATIO &c. Hunc " Libellum dedimus suæ Sanctitati in proprias manus, supplicantes examinari & judicari, " ac spondentes promptissimè obedire Apostolico judicio. Et sua Sanctitas transmisit examinandum Congregationi S. Officii, mandans postmodum sibi accuratè referri omnia. Et " post maturum examen *Sacra Congregatio censuit, & sua Sanctitati retulit, ac suis Regestis inscripsit, Libelli dogmata esse sana & recta, ideoque à nobis posse teneri & tradi.* Quod iterum judicavi intimandum Illustrissimæ Dominationi vestræ. "

Demum die 29. Aug. discesserunt Româ Deputati Belgium repetentes, impetratis, ipsâ die D. Laurentio Sacrâ, à sua Sanctitate Facultate discedendi, benedictione Apostolicâ, aliisque donis Pontificia liberalitate dignis in signum benevolentiæ. Si declaratio Illustrissimi D. Assessoris, per urbem & orbem à Deputatis promulgata de judicio lato super Censuris & justificatione, fabula fuisset, quâ fronte Suæ Sanctitati se sistere non erubuissent Notorii impostores tanti jam propalati criminis rei? Sed & alia suprà relata bic

juvat

juvat paululum expendere, ut appareat quam speciosè compositum foret mendacium quod Deputatis nostris adscribere nititur E r a s m u s P i l i u s. Scribit Ex.P.M.Lupus Illustrissimo Archi-præsidi, ac proindè per Belgium innotescit pluribus Censuram Lovaniensem Romæ examinari à Congregatione S. Officii.

Elapso trimestri nuntiatur Facultati Sacræ successus examinis. Facultas nuntiat Illustrissimo Domino Internuntio. Moxque id ipsum palam toto Belgio proclamatur. Aguntur gratiæ iis, quorum præcipuè operâ fælicem causa illa fuerat sortita exitum. Et hæc quidem omnia Romæ sciuntur & leguntur, Deputatis Româ nondum egressis, sed paratis ibidem objecta sibi omnia refellere.

Quæ foret illa Deputatorum Romæ adhuc hærentium imprudentia, ne dicam, impudentia, ut per Almam Urbem, per totum Belgium, ac illis præcipuè hæc nuntiari vellent (ut nuntiandum certissimè sciebant) qui indubiè rei gestæ ordinem subtilissimè indagaturi erant? Fatuos fuisse eos oportuit, si non ignorantes quam inverecundè Censura illa accusaretur à multis eam cane pejus & angue execrantibus, futurum sperârint, segnes adeo futuros omnes, ut nemo tam impudens mendacium in causa tanti momenti (quam everti potentissimorum multorum intererat) propalare satageret.

Et quanquam sic dormitassent æmuli nostri, Deputatis Romæ hærentibus, excitandi erant Deputatis ab urbe reversis; si enim propter eorum litteras vehemens jam fama quaquaversum percrebuerat, aucta est tamen cum ipsi Deputati præcipuis quibusque Aulæ ministris Deputationis suæ exitum exponentes hæc ipsa ore proprio declarârunt, scriptoque expresserunt; quod ante ipsorum adventum litteræ ultimæ à P. Magist. L u p o Româ scriptæ J. D. Archi-præsidi nuntiârant.

Opportunius nunquam potuerunt Facultatis Lovaniensis æmuli eam coram toto terrarum orbe confundere, omniumque bonorum, ac præcipuè Sedis Apostolicæ odium in eam convertere omnique ejusdem protectione orbare, quam probando talem impudentiam Deputatorum ejus, quibus Censuræ examen postulantibus, cum nihil aliud fuisset responsum, quàm IN SANCTO OFFICIO EXTARE DECRETUM CONTRA EDITIONEM VEL PUBLICATIONEM DICTI LIBRI, non exhorruerant responsum planè dispar S. Congregationi audacter affingere.

At tantum abest, ut actionem hanc coram Apostolica Sede intentare conati sint contra Facultatem Theologicam Lovaniensem, ut è contrario sentientes Facultatem Sacram Sedi Apostolicæ satisfecisse, imo se incidisse in foveam quam fecerant, vela verterint, Hispaniam petierint, ut quos non potuerant, gladio spirituali, ferirent gladio temporali. Illic itaque gravissimè Facultatem, ut ante Romæ fecerant, accusare perrexerunt, & præcipuè quidem in materia de gratia.

Si Facultati Lovaniensi nullas hic suppetias tulit Sanctitas sua, si nequidem Facultas opem ejus implorârit, signum est, Lovaniensis scholæ dogmata parum admodum Romæ placuisse; at verò si Lovaniensium causam aperto Marte vindicandam susceperit Sedes Apostolica, tam impudentem fore neminem puto, qui vel huic deputationi aliquid detrahere, aut ea, quæ circa Censuram gesta esse diximus, in dubium revocare ausit. Atqui Facultas Sacra nullius fraudis sibi conscia Sanctitatis suæ opem & humillimè imploravit, & copiosè obtinuit, ut constat ex pluribus litteris, quas hic non proferremus (scimus enim non posse quascumque amicorum litteras propalari) nisi illo fine conscriptas esse sciremus, ut perpetuum essent omnibus innocentiæ nostræ monumentum.

Die 6. Aprilis 1680. scribit Illust. Dom. Augustinus Favoritus Sanctitatis suæ Secretarius.

" Pridem in Hispaniam scripsimus, quâ Deputatos Lovanienses Sanctitas sua benigni-
" tate primum exceperit, & quo ad extremum honore sit prosecuta, & quam magnum
" sui desiderium, & quam egregiam de sua doctrina & in Apostolicam Sedem obser-
" vantiam

,, vantia opinionem huic Aulæ reliquerint. Jussus propterea fuit Nuntius Apostolicus, si
,, quid Madriti adversus vos moveretur, rem sicuti est Regi ejusque Ministris exponere,
,, & malevolorum calumniis, si quæ suborirentur, obviam ire. Infra habebatur. Romæ
,, die 6. Aprilis 1680. superscriptio erat Viro Clarissimo *Francisco van Vianen* Theologo
,, Lovaniensi. Lovanium.

Ejusdem sunt argumenti ad Facultatem Sacram ab Eminentissimo Cardinale Cibo litteræ eodem anno scriptæ tenoris sequentis:

ILLUSTRES ET ADm RR. DD.

" Significationibus, quas Sanctitas Sua Collegis ac Deputatis vestris, dum Romæ
,, commorarentur, exhibuit paternæ suæ erga vos, & clarissimam Universitatem ve-
,, stram voluntatis, novæ semper accedent, quâlibet oblatâ occasione rebus ac studiis
,, vestris suffragandi. Quam quidem animi propensionem Sanctitas Sua nuper quoque
,, ostendit, cum ipsi litteras vestras filialis obsequii, & grati animi plenas legerem. Quod
,, enim pertinet ad rumores, quos adversus vos à malevolis spargi scribitis, eam de pru-
,, dentia ac pietate vestra opinionem gerit Sanctitas Sua, ut facilè sibi persuadeat, *Vos*
,, *Majorum vestrorum exemplo constantes fore in sana & Catholica doctrina tuenda illustrandaque,*
,, unde obloquentium ora tandem aliquando obstruantur; quorum prætereà maledictis,
,, si Christianam benevolentiam rependeritis, divinâ adjutrice gratiâ fiet, ut diffidentes à
,, vobis eorum animos ad fraternæ charitatis compaginem revocetis, & Belgicæ Ecclesiæ
,, pax, cujus causa laborare vos profitemini, restituatur & planè consolidetur. Id Pon-
,, tificiæ solicitudini propositum inprimis est, à qua propterea omnem in idipsum opem
,, & favorem polliceri vobis debetis, sicuti conjicere potuistis ex officiis, quæ pro vobis
,, ab injuria tuendis interponere apud Matritensem Aulam non distulit. Interim & læta
,, vobis precatur omnia, &c, me interprete, amanter benedicit, quibus opera atque
,, officia mea ex animo offero. Romæ die 1. Junii 1680. infra habebatur DD. VV. ad
,, officia. A Card. Cibo. Superscriptio erat: Illustribus ac RR. admodum DD. Decano &
,, Facultati Theologicæ Lovaniensi. Lovanium.

Ex his constat, nullum hactenus apparere vestigium conficti tam impudenter mendacii, neque illud tantis beneficiis, sed condignis pœnis cumulandum fuisset.

Quod anno 1680. non apparuit, latere pergit anno 1681. 14. Junii, quâ supra laudatus Sanctitatis suæ Secretarius Lovanium inter alia scribit: *Scripsi quam diligentissimè ad Nuntium Madritensem, & quidem pluries Sanctitatis Suæ jussu, ut Aulam illam abducat ab errore, in quem ab æmulis Academia Lovaniensis pertracta est, edoceri à vobis Propositiones scandalosas, & non minus politico statui, quam Catholicæ Religioni perniciosas.* Tum recensitis iis, qui præcipuè in invidiam vocabantur, addit. *Scripsi luculenter, detexi malevolorum machinationes, & quam cumulatè vos omnes Sanctitati & Aulæ Romanæ satisfeceritis non sine gravi Accusatorum dolore ac dedecore.*

Judicet æquus Lector, quinam hactenus Romæ sint magis de mendaciis iniquisque machinationibus suspecti, an Lovanienses, an Lovaniensium Æmuli. Ut verò amplius appareat, magisne debeat deinceps Lovaniensium fides esse suspecta, tantùm notandum est, quomodo sese Lovanienses gesserint, dum Æmuli negarunt ac pernegarunt omnia, quæ Romæ in causa Censuræ gesta esse retulerant Deputati. Cœperunt itaque instare Æmuli ut responsi ab Assessore S. Officii Deputatis dati proferretur scriptum instrumentum, scientes post iteratam postulationem id ipsum obtineri non potuisse. Hinc contra Deputatos, tamquam fallaces ac impostores palam declamatum est in libris, Thesibus, disputationibus, ut sic omnis illis fides abrogaretur. Quid hic facerent Deputati, si mendacii tam infamis ac pudendi sibi conscii erant? Declinanda erat

Romæ

Roma, ne fraus innotesceret. At tantum abest, ut Romam declinârint, ut è contra citissime cœperint Romæ per varias epistolas exponere, quàm hic iniquè tractarentur, quomodo fidei suæ hic insultaretur, & velut impostores notarentur, supplicantes, ne tot labores tam sincera intentione exantlati fructu sperato frustrarentur, ut frustrandi timebantur, nisi Congregatio Sacra pio tot laborum intuitu negatum hactenus testimonium concederet. Judicet ERASMUS PILIUS hæccine sint symbola hominum fallere vel imponere volentium; aut si fallere voluissent, an hoc responso unum è Deputatis dignatus fuisset Sanctitatis suæ Secretarius 18. Aprilis 1682.

Quantum in me erit, adnitar, ut authentico aliquo documento confirmetur, quod à Congregatione S. Officii decretum fuit; videlicet CENSURAM LOVANIENSEM INOFFENSO PEDE PERCURRI POSSE, CUM NIHIL IN EA INVENTUM SIT CENSURA VEL ANIMADVERSIONE DIGNUM. Infra habebatur. Romæ die 18. Aprilis 1682. Superscriptio erat talis: *Viro Clarissimo Francisco van Vianen Theologo Lovaniensi Lovanium.* Et iterum idem ejusdem anni & mensis 24.

Æquissimum videtur mihi, videtur & multis magnæ dignitatis, virtutis, & prudentiæ viris, postulatum ut aliquo S. Sedis testimonio vindicetur innocentia doctrinæ Lovaniensis, quæ in censura continetur, ad obstruendum os loquentium iniqua. Non omisi id insinuare & urgere, quo tam justo desiderio ad necessariam defensionem satisfieret.

Die 16. Septembris scripsit D. Schelstrate Canonicus & Cantor Cathedralis Antverpiensis ad D. Hoefflach ejusdem Ecclesiæ Canonicum:

" Quoad librum, in quo Censura Facultatis Theologicæ Lovaniensis & Justificatio
" ejusdem, item Censura Facultatis Theologicæ Duacenæ in materia de gratia Dei &
" prædestinatione anno 1588. respectivè conscriptæ continentur, responsum accepi ab
" aliquo istius rei non ignaro, quod nihil hac in re definitum sit, neque à Summo Pon-
" tifice determinatum; quod tamen ante discessum Doctorum Lovaniensium hic liber
" oblatus fuerit S. Officio examinandus, & post examen à Deputatis desuper factum,
" *permissum fuerit, quod in illo continetur, liberè doceri*; cumque à Doctoribus Lovaniensi-
" bus peteretur hæc licentia & permissio in scriptis, id idpsum negatum fuerit. Hæc
" sunt, quæ hac de re intellexi. Et si in aliis opera mea vobis utilis videatur, ut de illa
" disponere digneris, etiam atque etiam rogo mansurus interim Eruditissimæ D. V. ob-
" sequiosissimus famulus. Et erat signatum E. A. Schelstrate. Suprà habebatur Romæ 16.
" Septembris 1682.

Die 21. Novembris scripsit Exim. D. *Francisco van Vianen* P. Josephus Sabatini Bibliothecæ Angelicæ Præfectus, Ordinis S. Augustini: " Illud pro certo affirmare possum, me
" quoque audivisse, non solum ab Illust. D. Assessore S. Officii, sed etiam ab Eminentissi-
" mis Riccio, Casanate, ac de Lauræa, tam Censuram quam articulos vestræ doctrinæ
" Congregationi S. Officii oblatos fuisse, nec non à Theologis pro tali negotio Deputatis
" ab omni censura immunes esse judicatos, quamvis Sacra Congregatio justissimis de
" causis illos positivo Decreto firmare noluisset.

Facultas sacra, quæ de suorum Deputatorum fide numquam dubitârat, sprevit æmulorum omnium dicteria, maximè cum Deputatorum suorum relationem videret tantorum virorum litteris confirmari. Ex quo factum est, ut, cum P. Patritius Duffy pluribus illius Facultatis Theologis varios objecisset articulos pertinentes ad materiam de gratia & libertate, responderit Sacra Facultas 4. Maii 1683. istam difficultatem pertinere ad Sacram Congregationem de Auxiliis, declarâritque optare ab illa discere, quid in hac materia tenendum sit, promittens numquam ab ejus Decretis recedere; & addens in responso, quod ipsi Pontifici (à quo articulos Patris Duffy acceperat) Romam transmissum est:

" Si

„ Si Theologicæ Facultatis major super his expressio desideretur, illa refert se ad Cen-
„ suram Lovaniensem ejusque Justificationem, & ad Censuram Duacensem, quæ est
„ conformis, utpote continentes Majorum suorum doctrinam, quam & hodie tradere
„ solet. Cum autem dicta Censura fuerit nuper ab Apostolicis Deputatis Ecclesiæ Car-
„ dinalibus Capizuccho, Lauræa, & aliis Romæ examinata, judicata posse teneri ac do-
„ ceri, eadem Facultas confidit, suam doctrinam sanam & irreprehensibilem esse, & ut
„ talem liberè tradi posse, donec per Apostolicam Sedem aliter statuatur. „

Hæc sunt è multis pauca, quibus ab æmulorum cavillis Censurarum Lovaniensis & Duacensis vindicatur auctoritas. Si mendacium est, Censuram Lovaniensem, instantibus ejusdem Facultatis Deputatis, declaratam fuisse immunem ab omni nota, dico liberè non credere me, quod ab orbe condito mendacium ullum tam malè phaleratum tanto tempore steterit inconcussum.

Causa agitur integræ Facultatis tot undique tempestatibus jactatæ, tot calumniis impetitæ, cui nonnisi fulmina & tonitrua augurabantur potentissimi ejus æmuli. Fertur sententia. Præcipui sententiæ latæ Auctores testesque adhuc superstites multi notantur. Liberum est Adversariis omnibus, quorum multi Romæ sunt præpotentes, sedulò investigare quid regestis Sacræ Congregationis sit insertum. Liberum est monere eos, qui adhuc hodiè superstites habuerunt in examine illius libri præcipuas partes. Et erit, qui credet, passuros eos tale sibi adscribi judicium, si Calviniana in illo dogmata contineantur? Plura hic frustrà exaggerarem, quæ luculentè exposuit Magnificus Dominus STEYAERT in *Assertione sua Censuræ Lovaniensis & Duacensis*, quam tamquam verissimam, ac inconcussam nos quoque hic habemus pro inserta, parati illam tamquam nostram defendere, illique per omnia subscribere.

§. 12.

Quid censendum de epistola Apologetica, quæ nuperrimè sub nomine Pauli Masii ad ERASMUM PILIUM *scripta est?*

CEnseri nil justè potest, nisi propiùs expenso epistolæ illius Apologeticæ mysterio; quod ferè totum versatur in excutiendis variantibus compendii editionibus. Editio prima anni 1679. ita habet: *In ipso amore beatifico major est à necessitate libertas, quam in ullo amore viatoris.* Editiones verò 1684. & 1687. addunt vocem MODO, sicque exprimunt hunc articulum: *In ipso amore beatifico major est à necessitate libertas, quam* MODO *est in ullo amore viatoris.* Ne ipse quidem compendii auctor satis meminit, cur anno 1684. addita fuerit illa vocula, nisi forte cavere voluerit, ne rationalis creaturæ cujuslibet amor beatificus crederetur magis à necessitate (coactionis & merè naturali suprà explicato) liber, quàm amor Christi Viatoris.

At longè alius hâc epistolâ producitur Collegæ nostri Apologus, qui nempè ERASMO PILIO candide largitur pag. 9. *Solide eum ac clarissimè demonstrasse* (ut saltem videtur quibusdam, inter quos est ipse Apologus, ut patet ex sequentibus) *dogma iis verbis expressum quibus exprimitur in compendio illo anno (1679.) impresso nec non in dictatis publicis eo tendere, ut negetur omnis libertas à necessitate cuilibet actioni, non tantum in statu naturæ lapsæ, sed etiam in statu innocentiæ.*

Tum prolatis nefariis consectariis, quæ ex hoc antecedente elicit PILIUS, ita concludit Apologus pag. 12. " Inde tandem tua Eruditio convicit, Eximium nostrum Gummarum protrudendo ejusmodi dogma, ex quo ea fluunt consectaria, quæ totum Christianismum funditus evertunt, plus effecisse solum, quam omnes simul Vergerianæ
„ factionis ministros, ad evertendum Christianismum, prout sancitum fuit à Patribus
„ conscriptis Conciliabuli Burgifontani anno 1621. „

Egregium

Egregium enimverò Apologum, qui ERASMO PILIO nihil debet, sive petulantiam, sive impudentiam spectes. Fallor si ERASMUS PILIUS hic seipsum non superat, qui primò sub nomine ERASMI PILII aperto marte Collegam nostrum subsannavit, posteà verò, ut tantò perniciosior esset hostis, quo occultior, Apologum ejus mentiri voluit, ut propinata tam impudenter facilius imperiti omnes haurirent mendacia, quæ ne ipsi quidem Apologo Collegæ nostri displicere sentirent.

Ecquid & illud est, quod de Conciliabuli Burgifontani anni 1621. Patribus conscriptis iterum refricatur? Sciat velim tam evidenter jam confutatam convulsamque hanc esse fabellam, ut non tantum Lovanii quidam, sed quotquot sunt in orbe terrarum, quibus est in capite cerebrum, visis scriptis ad eam pertinentibus, mirentur à Christianis, & quidem Religiosis Sacerdotibus tam aperta mendacia tam insolenter quaquaversum promulgari posse.

Omne tandem virus suum expuit putidus hic Apologus pag. 13. " Fateor, *inquit*, nec „ quisquam ausit negare, omnia isthæc consectaria utcumque consequi ex dogmate „ Eximii nostri, prout illud expressum est in ipsius Theologiæ compendio editionis primæ „ & in dictatis ejus publicis: minimè tamen licet suspicari, virum tam eximium voluisse „ suo dogmate viam aperire eversioni totius Christianismi. Incredibile est ipsum primâ „ fronte vidisse tam horrenda ex suo dogmate fluere consectaria, aliàs numquam illud „ protrusisset in lucem: unde quàmprimum ex libello Eruditissimi Viri *Gerardi van* „ *Vianen* didicit peregrina quædam ex suo dogmate consequi, statim illud attentius con- „ sideravit, vidensque illud eò spectare, ut omni actioni non tantum in statu naturæ „ lapsæ, sed etiam in statu innocentiæ abjudicetur omnis libertas à necessitate, simulque „ observans Jansenium post Calvinum libertatem à necessitate tantum negasse actioni- „ bus hominum in statu naturæ lapsæ, non verò in statu etiam innocentiæ, noluit sa- „ pere suprà Illustrissimum Eximiumque Jansenium: quare statuit suum dogma emen- „ dare, in quantum ultra Jansenii placita extendebatur. Curavit igitur anno 1684. suum „ Theologiæ Compendium recudi variis typis, in quo suum dogma, quod extendebatur „ ad statum innocentiæ, restrinxit ad statum præsentem naturæ lapsæ.„

En Apologum, qui hæreses horrendas clienti suo infideliter adscribit, imo & evertendi Christianismi facit Auctorem. Quid non licebit in tenebris, si hæc fiant super tecta? Quid non licebit Romæ & in Hispania, si hæc in ipso Belgio, in ipsa urbe Lovaniensi liceant?

Cum non ita pridem Collegæ nostri Methodo opponeretur Decretum Inquisitionis Toletanæ, quo proscribitur tamquam Jansenianos continens articulos, responsum est, tam certum esse Methodi Auctori nullum in ea Jansenianum contineri articulum, ut liberrimè postularet, libellum suum committi examini Adversarii, qui præ cæteris omnibus in septemdecim Provinciis doctrinæ ejus repugnare crederetur, paratum se exhibens non tantum exauctorationem, sed & subire Censuras omnes, quibus sunt obnoxii hæreticorum dogmatum vindices. Hæserunt ad hæc viri æquitatis amantes, vix capientes quî judicium tam præceps ab Inquisitione tam celebri prodiisset ut in methodo reperiret nemo, quod in illa damnaverat Inquisitio. Respondimus hærere & nos, sæpiusque in Hispaniis institisse, ut sacra Inquisitio designare dignaretur loca, quibus Janseniani illi continentur articuli, sed hactenus responsi nihil accepisse. Cæterum aliud nihil suspicari nos posse, quam Jansenianos articulos fortè fuisse insertos alicui libello, cujus titulum quidam mentiti sint, præfigentes nempè eundem, quem suæ Methodo Auctor præfixit.

Ad hæc illi exhorruerunt, tam impium ac penè incredibile crimen mirantes & detestantes. Nunc verò si non detestari, saltem mirari desinent, ementitos titulos libris qui-

F busdam

busdam posse præfigi ab iis, qui ipsis librorum auctoribus ementitos Apologos nôrunt quærere, & Censores invenire, qui specie justitiæ tam impias fraudes & technas foveant in ipsa urbe Lovaniensi, ne quid ad phalerati mendacii speciosum ornamentum desit. Cum verò, ERASMUS PILIUS tam inauditis stratagematibus debellare eos studeat, (quanquam satis hactenus infeliciter) qui totius Christianismi eversioni viam aperiunt, purgato jam utcumque Collega nostro, novam illi præbere anhelo materiam, quâ zelum tam ardentem fælicius exerceat.

Thesim his iterum inseram integram neque Typothetæ labori, neque discipulorum sumptibus parcens; parumque vereor scommata illius, qui me ejusmodi Thesibus dixit meas farcire, ut molem illis accersam. Imo fortè dictata ipsa, quibus Thesis illius conclusiones clarius exponuntur, typis committam, si ERASMI PILII zelus expetere illa videatur. Fallor si non erit copiosior hic materia excurrendi in consectaria, quæ cum satis infæliciter ex dogmate Collegæ nostri elicuerit, ex nova hac Thesi consectariis fælicius elicitis, languentem forte zelum, existimationemque suam vacillantem sustinebit ac reparabit.

§. 13.

THESES THEOLOGICÆ
DE PECCATIS.

I. Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicum verò & morale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.

II. Distinctio specifica Metaphysica peccatorum petitur ex diversa ratione turpitudinis moralis, seu disconvenientiæ cum objecto, fine, & circumstantiis in ordine ad naturam rationalem spectatis; moralis verò ex oppositione cum eadem vel diversa virtute. Peccata omnia non sunt inter se connexa, nec æqualia; sed aliqua sunt aliis tum specie tum numero graviora.

III. Malitia peccati commissionis non consistit formaliter in privatione rectitudinis debitæ actui tantùm, nec in privatione rectitudinis debitæ potentiæ tantùm, nec in privatione rectitudinis debitæ aliquando potentiæ, aliquando actui, nec in privatione rectitudinis debitæ ipsi operanti, nec in privatione perfectionis congruæ, aut Dei ut finis ultimi gratiæ aut gloriæ aut habituum supernaturalium.

IV. Malitia peccati commissionis consistit formaliter in positivo seu in positiva disconvenientia cum natura rationali & recta ratione, vel lege divina, non verò partim in positivo, partim in privativo. Peccatum omissionis non potest dari sine aliquo actu positivo, qui sit causa vel occasio, non solum moraliter, sed etiam physice & metaphysicè

V. Dantur peccata mortalia & venialia, quæ non solum ex conditione personæ peccantis, vel solâ Dei voluntate, ut volunt Calvinus & Lutherus, sed etiam ex natura rei differunt. Mortale autem in hoc distinguitur præcipuè à veniali, quod mortale ex natura sua est notabilis recessus à ratione & lege Dei, gravis Dei offensa dissolvens amicitiam divinam, non verò veniale.

VI. Deformitas peccati mortalis consistit in eo, quod per ipsum Deus graviter offenditur, & virtualiter quodammodo, aut formaliter contemnitur. Ad peccatum mortale requi-

requiritur materia gravis, quantitas notabilis, plena intellectûs advertentia, & plenus voluntatis consensus. Malitia peccati mortalis non est infinita moraliter intrinsecè simpliciter, sed extrinsecè tantum, & objectivè & secundum quid.

VII. Peccatum veniale est peccatum, quod leviter tantum Deum offendit, nec mortem spiritualem affert animæ, nec æternâ pœnâ per se punitur, sed privat hominem gratia efficaci & congrua, fervore charitatis, Dei timore, & inclinatione ad sequendam rationem & legem. Semper est dispositio ad peccatum mortale. Ex multis venialibus non potest fieri unum mortale formaliter, vel æquivalenter, nisi illorum materiæ vel effectus moraliter continuentur, & in unum coalescant.

VIII. Peccatum habituale non est habitus vitiosus relictus ex peccato actuali, neque ordinatio tantum ad pœnam, neque complacentia habitualis in peccato præterito, aut propensio habitualis ad peccatum, neque privatio gratiæ, sed est peccatum actuale physicè præteritum, moraliter perseverans in ordine ad reddendum hominem rationabiliter Deo exosum, donec condonetur, aut condigna ejus satisfactio exhibeatur & acceptetur.

Has Theses, Deo duce, & auspice Deiparâ propugnabit Stephanus Bongot. *In Aula majore Collegii* Divio-Grodranii *Societatis Iesu die Iunii* 1686. *matutinis ac serotinis Scholæ horis.*

DIVIONE, Apud *Ioannem Ressayre* Typographum & Bibliopolam.

Nolim Erasmi Pilii zelum circa singulas hujus Thesis partes operosius fatigari; copiosissimam enim materiam viro formandis consectariis nato sola prima præbebit conclusio. Et ne ipsa consectariorum copia virum sagacissimum obruat, rudiora quædam ego pro tenuitate mea eliciam, cætera subtili Erasmi Pilii genio libentissimè permittens. Horreo, dum in hac Thesi lego *peccatum Philosophicum* definiri *actum humanum disconvenientem naturæ rationali & rectæ rationi*, moxque addi, *Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, esse grave peccatum, sed non esse offensam Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.*

Ne ipsum quidem Erasmum Pilium arbitror negaturum, eos præcipuè omnem funditus evertere Christianismum, qui Dei ignorantiam prædicant hominibus esse expetendam, actualemque Dei memoriam ab hominum cordibus abolere nituntur. Hoc illi prædicant, qui supra relatam doctrinam tradunt.

Credidimus hactenus adversus peccata potenter illum fuisse præmunitum, qui dicebat; *providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* At juxta hanc Divionensem magis quam Divam Theologiam deploranda est fortuna hominum ejusmodi, qui perpetuis sunt obnoxii periculis peccatorum, quæ illis timenda non sunt, qui vel Deum ignorant, vel actu de Deo non cogitant.

Finge parvulum à parentibus baptizatum, à Barbaris ante rationis usum olim infæliciter abreptum in Atheismo educari, annis pluribus Deum non cognoscere, multò minus actu de Deo cogitare, interim homicidiis, latrociniisque grassari, tam sanctæ animæ ab omni mortali noxa (quia Deum non novit nec de Deo cogitavit) fæliciter immuni cælum spondet Theologia Professorum Divionensium.

Crediderunt Gallicani Episcopi Apologiam Casuistarum tantis censuris conculcatam & contritam, in hac materia de ignorantia & advertentia mali laxitatis palmam omnibus, etiam futuris laxonibus præripuisse: at hanc illi palmam inviderunt Professores Divionenses, ut facilè videre est conferenti doctrinam Apologiæ Casuistarum Censuris Gallicanis perstrictam cum Thesibus Divionensibus. Sic illam refert Censura Senonensis anni 1658.

Apolog. p. 23.

OBJECTION. *Le P. Bauny, & les autres Theologiens & Casuistes disent, que pour pecher, & se rendre coupable devant Dieu, il faut sçavoir, que la chose, qu'on veut faire, ne vaut rien.*

rien, ou au moins en douter, craindre ou bien juger, que Dieu ne prend pas plaisir à l'action, à laquelle on s'occupe, qu'il la defend, & nonobstant la faire, franchir le sault, & passer outre.

Resp. *Ie soutiens, que la proposition du P. Bauny est vraye & que celle des Iansenistes est fausse, & scandaleuse dans ses suites.*

P. 26. *La premiere consequence tres pernicieuse & tres-scandaleuse, qui suit de cette erreur, est qu'un grand nombre des Chrestiens, qui pechent par ignorance contre le Decalogue, seront damnés faute d'instruction.*

P. 38. *Si les pecheurs parfaits & achevés n'ont ni lumieres ni remors, lors qu'ils blasphement, & qu'ils se plongent dans leurs debauches; s'ils n'ont aucune connoissance du mal, je soûtiens avec tous les Theologiens, qu'ils ne pechent point par ses actions, qui tiennent plus de la beste, que de l'homme, parce que sans liberte il ny at point de peché, & pour avoir la liberté d'eviter le peché, il faut connoître du bien & du mal dans l'objet, qui nous est proposé. Ie dis aussi, qu'en ceste recontre les Theologiens ne reconnoissent point des graces suffisantes, dautant que Dieu ne les donne qu'à ceux, qui se servent de la raison, & non aux enfants, aux fols, a ceux qui dorment, & a ceux, qui agissent par emportement de quelque passion.*

Censura Senonensis promulgata ad instantiam Synodi, requirente promotore Generali.

HÆ Propositiones, quatenus ex his consequens est, innoxium esse, quidquid per recti pravique ignorantiam fit aut cupiditatis impetum, vel nihil unquam à quoquam contra legem Dei per ignorantiam peccari, Scripturis, Patribus, fidelium precibus manifestè adversantur, & ad excusanda gravissima quaque scelera promptam defensionem suppeditant.

Censura eorumdem lata per Vicarios Archiepiscopi Parisiensis die 23. Augusti ejusdem anni.

DOctrina illa falsa est, erronea, scandalosa, contraria Scripturæ Sacræ, Ecclesiæ Patribus, & ipsi Theologiæ, è quibus omnibus constat dari peccata ignorantiæ; peccatoribus quoque excusationum copiosam materiam prabet in perniciem animarum, & Christianos solicitat, ut intrepidè negligant instructiones saluti suæ necessarias.

Anno 1657. die 4. Maii de simili articulo ab Episcopo Gandensi sibi oblato censuerat Facultas Theologica Lovaniensis: quod *esset contra communia Christianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immanissima hominum peccata excusaret cum pernicie animarum.*

Horrendas esse fateor assertiones, quas Censuris illis perstringunt Illustrissimi Sapientissimique illi viri; quas tamen censeo non posse conferri illis, quas hâc conclusione primâ tradunt Divionenses.

Nihil in Censura ex Baunio, nihil ex Casuistarum Apologia profertur, quo docuisse probentur, hominem ex certa scientia committentem homicidium vel adulterium quæ rectæ rationi adversari non dubitat, ab omni peccato immunem esse, si modò Deum ignorat, aut actu de Deo non cogitat. Et illud est, quod supra Baunii, & Apologiæ Casuistarum probrosa dogmata modis omnibus detestandum dicimus & abominandum.

Censuras alias non addimus, quas Erasmo Pilio servamus, quia si Pelagiana tam sollicitè, ut hactenus præ se tulit, dogmata discusserit, fælicius multò Pelagianas offas Collegæ suo præcoquet quam nostro.

Plura adderem, nisi limites, quos ipse mihi præfixi, vererer excedere; subtiliora enim ac remotiora consectaria Erasmo Pilio relinquenda sunt, qui sagacissimè palam omnibus faciet, dogma illud cò tendere, ut Christianismus evertatur funditus, omniaque

Sacramenta penitus aboleantur, evertatur mysterium non tantùm SS. Trinitatis, sed etiam Incarnationis, totaque doctrina de peccato originali.

§. 14.
De quibus Erasmo Pilio *agendæ sint gratiæ?*

Cum circà quinque articulos ab Innocent. X. & Alexand. VII. proscriptos variæ admodum forent controversiæ, novosque quotidie sensus Molinistæ pro rerum suarum opportunitate confingerent, nolui ego huic me labyrintho plenis velis committere, at malui quæstionem hanc tractare per partes, rectum tamen ac naturalem ubique sectando ordinem, id est, primo loco ea tractando, sine quibus difficilis (præcipuè si cum Molinistis agitur) foret labyrinthi hujus exitus.

Contendi, ac etiamnum contendo, doctrinam nostram à doctrina Jansenii distingui non posse, nisi doctrina nostra bene intelligatur. Ideo hanc expressi verbis Majorum nostrorum, Lemos, Estii Capituli Provincialis PP. Dominicanorum, PP. Carmelitarum, Excalceatorum, aliorumque plurium. Si malè eam exposueram, petivi ab adversariis disertè id exprimi ut vel adderem, vel mutarem. Sed hactenus nihil exprimere placuit.

Tum Thesi 6. Historico-Theologica ipsorum quoque damnatorum articulorum sensum cum Joanne Baptista Gonet exposui, quem in nonnullis Erasmo Pilio satis conformem esse video, speroque, quod si pari candore (pro quo illi multum debeo) cæteros exponat articulos, intricatæ huic quæstioni multum lucis accedet.

Fatetur itaque Erasmus lib. 1. pag. 4. quod *Cornelius Iansenius Iprensium Episcopus nomen reservârit liberi arbitrii, sed rem iste nomine significatam, videlicet libertatem à necessitate, seu indifferentia prorsus eliminârit.* Hoc ergò est, quod in Jansenio damnatum esse contenditis, hoc unum quæritis, dum toties instatis, ut tertium articulum damnemus in sensu ab auctore intento. Eia, precor, publico constet instrumento, eam esse concordem aut saltem communem aliorum Molinistarum sententiam, ne postea ab hoc sensu resilientibus aliis, frustrà laboremus. De Erasmo Pilio non amplius hac in parte laboramus; clarissimè enim ille mentem suam ubique aperit. Unde iterum pag. 58. *putavit* (Jansenius) *& in eo erravit, quod libertas à coactione sufficiat, & actio dicatur esse in potestate nostra sitque verè libera eâ libertate, quæ fundet meritum ac demeritum.* Ne quid verò ad plenissimam damnatæ tertiæ propositionis intelligentiam deesset, *Iansenius*, inquit pag. 60. *malè cum Calvino sentiens de actionum nostrarum libertate, dogma suum, perinde ac Calvinus, restrinxit ad statum naturæ lapsæ.*

Damnamus & nos cum Erasmo Pilio omnes, qui in statu naturæ lapsæ non admittunt libertatem indifferentiæ. Constat ex hac ipsa Thesi, constat ex aliis pluribus, ac præcipuè ex 6. in qua §. 2. exponens damnatos articulos cum discipulis SS. Aug. & Thomæ profiteor num. 3. quod sit *perpetuò in homine lapso illud, quod Thomistæ statuunt, activæ indifferentiæ genus, quam proximam dicere nihil vetat, dummodò ab hoc verbo semoveas illum sensum, ut voluntas per efficacem gratiam mota credatur nunc consentire, nunc dissentire; sive quod idem est, nunc actualem consensum, nunc verò actualem dissensum cum ejusmodi gratia componere.* Cætera ad hunc articulum pertinentia nobis cavebit adscribere, si ibidem totam expositionem nostram evolverit.

Multum quoque Erasmo debeo, quod meos levet labores, dum controversiæ hujus originem ad pauca capita revocat, adeò ut iis ferè solis nos æquum foret occupari. *Dogmatis origo*, inquit lib. 2. p. 52. *fuit nimius amor erga hæc dogmata: " Non datur omnibus " gratia sufficiens. Et singuli gradus gratiæ semper in nobis obtinent id, quod per illos vult Deus.",*

Credit

Credit Pilius hæc dogmata controversiæ esse originem; nec nos abnuimus. In hos ergo articulos toto deinceps impetu ruat, ut concussis doctrinæ Lovaniensis principiis, conclusiones simul omnes collabantur. Ad alia non divertat; sed hanc Thesim, si lubet, Theologicè oppugnet.

Non dari omnibus gratiam sufficientem certa est SS. Aug. Prosperi, Fulgentii, Thomæ, ac præcipuorum quorumcumque Scholasticorum sententia.

At quid sentiendum de altero illo articulo: *Singuli gradus gratiæ semper in nobis obtinent id, quod per illos vult Deus?* Sentit Erasmus Pilius inde fluere istud consectarium hæreticum: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, uti apertissimè, inquit, demonstravit Ulicus Jonson. Alibi Pilius illud exagitat, tanquam totius Jansenianæ Theologiæ fundamentum. *Dogmatizat*, inquit de Collega nostro, pag. 43. lib. 2. *singulos gradus gratiæ semper in nobis obtinere id, quod per illos vult Deus. Dogma illud ipsi oculorum pupillâ est charius, utpotè totius Iansenianæ Theologiæ fundamentum præcipuum.* Forte doctrinam nostram hactenus non capit Erasmus, eamque rectè explicatam de hæresi notare desinet. Gratiæ interiori (excitanti, seu sufficienti Thomisticè) in statu naturæ lapsæ resisti sæpissimè, cum omnibus SS. Augustini & Thomæ discipulis incunctanter asserimus, quodque cum iisdem diximus Thesis 6.§.2.num.2. Hic repetimus:

" Gratiæ excitanti, inefficaci, Thomisticè sufficienti verè voluntatem resistere ac reniti, ,, eamque eo effectu privare, ad quem excitat, & ad quem potestatem largitur Thomistarum sensu sufficientem. Potest quidem illi voluntas consentire, nec tamen si absit ,, gratia efficax, unquam consentit, non defectu antecedentis potestatis, sed liberâ sui ,, ipsius in oppositum determinatione.,,

" Sed quamvis illa gratia in se spectata effectu illo careat, ad quem tendit, ad quem ,, voluntatem excitat, ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur, adeoque ,, falsum sit hoc sensu, omnem Christi gratiam semper habere eum effectum, quem ,, Deus vult; si tamen spectetur ut cum absolutâ Dei voluntate conjuncta, meritò hoc ,, sensu efficax dici potest, quia semper id in corde hominis operatur, quod Deus absolutâ voluntate intendit. Certum est enim apud Thomistas auxilium sufficiens respectu ,, unius actûs semper esse efficax respectu alterius actûs, ad quem efficiendum decreto ,, absoluto divinæ voluntatis destinatur; adeoque apud illos omnis gratia est efficax alicujus effectûs, ejus nimirum ad quem proximè ordinatur, & Deus absolutâ voluntate ,, intendit juxta illud Isaiæ: *Verbum, quod egreditur de ore meo non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui.*

Ex his intelligit Erasmus Pilius, quo sensu sustineamus, *singulos gratiæ gradus semper in nobis obtinere id, quod per illos vult Deus*; semper enim id obtinent, ad quod efficiendum Decreto absoluto divinæ voluntatis destinantur, non item illum effectum obtinent, ad quem per antecedentem tantùm Dei voluntatem (quam ex S. Thoma & præcipuis Thomistis aliàs explicui) ordinantur.

En illud dogma quod oculorum pupillâ nobis est charius, quod si Erasmus Pilius tamquam totius Jansenianæ Theologiæ præcipuum fundamentum putet exagitandum, & consectaria inde fluere hæretica apertissimè censeat demonstratum, ne ipse quidem sibi satis cohærebit, imo suis se configens sagittis & Thomistarum damnans doctrinam in Pontificia impinget Decreta, quorum observantiam potentius ab aliis, si suo eos exemplo præiverit, poterit postulare.

Si *schola S. Dominici* teste Erasmo Pilyo *sit apprimè Catholica*, ut habet lib. 1. pag. 32. si *inter Catholicos ubique meritò recensentur Thomistæ*, ut habet pag. 39. si *novis Apostolicæ*

Sedes

Sedes discrimen esse inter doctrinam Iansenii & doctrinam Thomistarum, illam pronuntians haereticam, istam doceri permittens, ego, ipso ERASMO PILIO teste, tutissimum me arbitror, dum eodem per omnia sensu, imo iisdem plane verbis, quibus Thomistarum Principes, damno illum articulum: *Interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

Si quid tamen deinceps opponendum nobis censeat ERASMUS PILIUS circa illum articulum, hanc ei Thesim propono Theologicè oppugnandam:

OMNE AUXILIUM SUFFICIENS (Thomisticè) COMPARATIONE UNIUS ACTUS, SEMPER EST EFFICAX RATIONE ALTERIUS, AD QUEM EFFICIENDUM EX ABSOLUTO ET EFFICACI DECRETO VOLUNTATIS DIVINÆ ORDINATUR.

Hæc Thesis (sepone controversiam de solo nomine sufficientis auxilii) *constans est, & fundatissima doctrina SS. Augustini & Thomæ*, & teste Lemos, *communis & vera Thomistarum sententia*, de qua non ita pridem Joannes Baptista Gonet: *Communiter docent Thomistæ cum Alvare, auxilium omne, quod respectu unius actûs est sufficiens, esse simul etiam efficax in ordine ad alium, ad quem efficiendum per absolutum divinæ providentiæ decretum ordinatur, ita ut simpliciter sit sufficiens & efficax secundum quid.* Disp. 4. de voluntate Dei antecedente art. 5. num. 147.

Multas debeo gratias ERASMO PILIO, quod ad hæc capita controversiæ nostræ summam redegit, sed pluribus longè titulis illi obstringar, si solidis argumentis, religiosa modestiâ, ac piâ animi moderatione res ita arduas deinceps tractare dignetur, invocato patre luminum, ut divinâ gratiâ, cujus causam agimus, cor ejus meumque emundetur, calamus temperetur, tantaque in omnibus scriptis nostris reluceat pietas, ut gratiæ, quam tuendam suscipimus, effusionem magis probent scribentium opera, quam litteræ. Si quam per hos libellos contraxit ERASMUS petulantiæ notam, eluceat micans deinceps in futuris scriptis religiosissima modestia. Quod ad me attinet, profiteor semperque profitebor, anhelare me unicè, ut pacificè cuncta tractentur, multumque dolere, dum omnes honestatis limites sic excedi video, ut necesse sit nervosiùs acriùsque figmenta varia coargui, ne dum suos falsitas exerit aculeos, aculeis carere veritas videatur.

PERTINENS.

NOn posse hominem sine gratia à peccato liberari, docet fides; juxta illud Christi, *si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Ex locis Augustini, in quibus hanc libertatem à peccato negat obtineri posse sine gratia, conficit ERASMUS PILIUS, non remanere in homine gratiâ destituto libertatem naturalem circa præcepta supernaturalia, aut illa naturalia, quæ ob naturæ corruptionem sine gratia impleri non possunt. Nonne hæc consequentia, quam facit lib. 2. p. 27. dignissima est indefesso Augustini lectore?

ALIUD.

CUr ERASMUS PILIUS truncatum produxit Augustini locum ex lib. 1. operis imperfecti cap. 105. Nam lib. 1. p. 28. hæc sola verba refert: *Cum igitur & illa fateamur in hominibus esse peccata, quæ committuntur non necessitate, sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt, unde* LIBERUM EST ABSTINERE. Fallor si ex Augustino non optârit erasa, hæc quæ sequuntur verba; *& peccatis de*

ignorantia

ignorantiæ vel affectionum necessitate venientibus, quæ jam non solum peccata, verum etiam pœna sunt peccatorum plenum sit genus humanum quomodo dicis (Juliane) *definitionibus nostris peccatum nec in moribus inveniri?* Si tamen non optârit erasa, mirari satis nequeo, ex citatis verbis elici ibidem consequentias à verbis & sensu Augustini tam alienas.

ALIUD.

VIx circa initium Aprilis 1688. prodiit secundus libellus ERASMI PILII, & circa medium Martii prodierat primus. Confidit ERASMUS, lib.2.p.7. utrumque Collegæ nostro placiturum; imò *nihil in superiore opusculo displicuisse conjicio*, inquit, *ex tuo silentio*. Fatua erat hæc conjectura anno 1687.13 Novemb. quâ ne primus quidem liber adhuc lucem viderat. Quo ergo tunc Censore digna erat illa conjectura? Circa eam censere aut decernere aliquid nemo potuit, nisi ex prævisis meritis. At non mirarer, si suum mentitus nomen, Typographum, Apologum, aliquem etiam Censorem mentiretur. Fortè & alibi jam pridem per omnium manus volitârunt illi libelli, qui unicè ad illudendum imperitis compositi videntur. Hæc monuisse sufficiat, ut æmulorum nostrorum insidias ac stratagemata cavere quilibet discat.

FINIS.



